









1.0 mm


ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

1.5 mm

ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

2.0 mm

ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890



DE JOVE HOMERICO.

Partis prioris caput I.

De Jove qualis sit in Odyssea.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

Paulus Nerrlich

Silesius.

IENAE, 1871.

TYPIS RATII.

§ 1.

Quaerentibus nobis qualis fuerit Jovis Homerici natura atque potestas in carminibus duobus Homericis id potissimum spectandum est, ut non nulla adferamus ad quaestionem quae dicitur epicam profligandam. qua re tota haec quaestio ita instituenda erit, ut primum videamus utrum Jovis Homerici natura atque potestate nobis Nitzschi aliorumque sententia probetur, qui carmina illa ab uno poeta conposita esse dicunt an Lachmanni eorumque, qui eius vestigia presserunt, qui et Iliadem et Odysseam in diversa carmina a diversis poetis conposita secandas esse censent. deinde ea, de quibus priore parte separatim actum est, in unam quasi imaginem ita conplectamur, ut quo modo Jovis Homerici vis ac natura ab inperfectis initiis profecta sit ad finem absolutiorem videamus.

Pars prior.

Num sit Jovis Homerici natura atque potestas in diversis carminum partibus diversa.

Caput I.

Quae sit in Odyssea Jovis natura atque potestas.

§ 2.

Atque in priore illa parte tractanda ab Odyssea initium capientes primum anquiramus quam vim Juppiter

habeat ad fabulam progredientem, deinde quae alia de eius natura atque potestate dicantur.

Nitzschius autem Odysseam in duas fabulas dispertiendam esse censet. quarum altera eaque ampliore describitur quo modo Ulixes procorum superbiam auxilio Minervae ulciscens partes suscipiat Jovis, qui gravissimas unius cuiusque sceleris poenas expetat; altera autem, quam embolium esse vult, quo modo ipse, cum Polyphemo caecato insolentius se in Neptunum extulerit, deorum ira et poena vexetur[1]). quod ad embolium cum iam primi libri versus 20 sqq. et 68 sqq. spectent, ab eo initium capiamus, idque ita ut pervestigemus quae fiant ante illud deorum concilium, quod est in primi libri exordio.

§ 3.

Haec autem sunt pericula, quae Ulixes Alcinoo, Phaeacum regi, inde a libro nono usque ad duodecimi finem narrat. quorum primum est detrimentum a Ciconibus acceptum, qui senos socios in singulis navibus interficiunt. reliquis autem hac re valde perturbatis Juppiter magnam tempestatem excitat, et periculo a Lotophagis inminente vix evitato ad Cyclopum terram naves adpellunt. sed illic nova instat calamitas. nam hi, quippe qui Jove beatisque deis multo potentiores se esse glorientur, eos adeo non curant nec venerantur, ut Polyphemus hospiti leges plane contemnens sex socios capiat captosque devoret. ab Ulixe autem caecatus Neptunum patrem inplorat ut omni ope atque opera enita-

1) ad Odyss. III praef. p. XX.

tur ne iste in patriam redeat; si vero hoc deorum voluntate destinatum sit, longo saltem tempore intermisso redeat domique fortunam inveniat adflictam. quod ille audit; neque minus Juppiter animo reputans quo modo et naves et socios perdat a sacrificio sibi oblato se avertit. decimo deinde libro Ulixes in Aeoli insulam egreditur. a quo benigne exceptus et utre donatus, in quo omnes venti adversi inclusi sunt, ad patriam adpropinquat; sed dum dormit, sociorum curiositate fit ut utre patefacto venti solvantur ipsique ad Aeolum regem repellantur. qui ne Ulixes in deorum sit odio metuens statim eum in mare remittit, ita ut ad Laestrygones deferatur, qui undecim naves saxis contundunt, et una tantum servata ad Aeaeam, Circes veneficae insulam, evadat. sed tantum abest ut hic sit finis malorum, ut dimidia sociorum pars in sues mutetur. et quanquam Mercuri auxilio efficitur ut et ipse servetur et ceteri in pristinam faciem revertantur, tamen per totum annum ab illa retentus ad inferos iubetur descendere, ubi Tiresiae umbra ei quo modo domum perveniat vaticinetur. quibus quidem rebus perfectis tamen longe summi momenti sunt ea, quae a venefica ipsa in libro duodecimo cognoscit. caveat, inquit, ne quid detrimenti a Sirenibus, Scylla, Charybdi accipiat neve quid inpie nefarieque, id quod iam Tiresias monuerat, in Solis boves committat. at fieri non potest quin et Scyllam praetervehens gravem iacturam faciat, et, ut naves ad Solis insulam adplicat, a sociis cogatur. qui quamvis sancte iure iurando adstricti sint, quamvis religiose, dum cibaria non desunt, bobus se abstineant, tamen adversis ventis diu in insula retenti et adducti ad ultimam ciborum inopiam

occasionem Ulixis somno sibi oblatam avidissime anplectuntur neque ea, quae sunt deo sacrata surripere eis est verecundiae. cuius rei summa ira incensus cum hic a Jove postularit ut sceleratos homines deperderet ipsumque ulcisceretur, navis tempestate coorta diruitur; Ulixi autem summa virium contentione contingit ut omnibus sociis perditis ad Calypsus insulam in tutum perveniat. ubi per septem annos cum summo suo dolore detinetur, dum tandem Mercurius, id quod primis libri quinti versibus, unde embolium initium sumit, describitur, a Jove ad nympham ut illum dimittat legetur. atque iam in eo est, ut ratem ad Phaeacum litus adpellat, cum Neptunus, qui ab Aethiopibus redit, aegerrime ferens quod dei ipso absente alia ceperint consilia, et iste a terra Fato ei destinata haud procul sit, procella ac tempestate coorta ita frangit ratem, ut nisi taenia a Leucothea accepta tignoque ratis fractae arrepto se supra undis non sustineat. at hic est finis malorum. nam Minerva, postquam Neptunus Aegas se contulit, ventum secundum mittit. itaque ille viginti dies in alto iactatus ad Phaeaces pervenit, a quibus summis honoribus cumulatus magnisque donatus muneribus ad Ithacam insulam deducitur. Neptunus autem irae nondum oblitus apud deorum hominumque patrem istum tantis onustum divitiis domum pervenire queritur, quantas, si Troia incolumis evasisset, non reportasset; ab eoque ut sibi Phaeacum navem redeuntem demergere urbemque monte circumvallare liceat precibus petit. quod quidem hic ita non recusat, ut navem in saxum mutari iubeat eamque ad litus adpropinquantem, ut spectantium animi terrore percutiantur. qua re conmoti Phaeaces et hospitio desi-

stere et Neptuni iram, ne urbs circumvalletur, bobus placare statuunt. sed utrum hoc a deo inpetrarint nec ne adeo non perhibetur, ut statim quae in Ithaca fiant describatur.

§ 4.

Quae fabulae pars, quam Nitzschius embolium esse vult, quoniam ad finem perducta est, iam videamus num ille recte de eo iudicaverit.

Ac quanquam multo magis quo modo Ulixes ab aliis dolores perpetiatur describitur, quam quo modo res gerat ipse, quanquam ulciscens nusquam, poenas solvens ubique adparet: tamen diligentius et adcuratius perscrutandum est num Nitzchius suo iure putet solam errorum caussam in eo esse positam, quod Juppiter iniuriam fratri inlatam ulciscatur totamque fabulam id spectare, ut homines non plura a deis perpetiantur quam ipsi delinquant [1]).

Huic enim contraria est sententia Jacobi, qui neque in hoc embolio, neque in aliis Odysseae libris unicam caussam Ulixis errorum poenam esse censet, quam Juppiter laesae fratris maiestatis caussa de eo repetit [2]). quod ut probet primum adfert α 4 sqq. β 174 sqq. γ 130 sqq. γ 152. δ 555 sqq. ε 13 sqq. ε 30. ε 105 sqq. ψ 312 sqq. quo in numero minimi videntur esse momenti quae ψ 312 sqq. legimus, quoniam hanc extremam Odysseae partem ab aliis carminibus resecandam esse cautissimeque eius versus adhibendos esse ad alios refutan-

1) ad Odyss. II. praef. p. XXXIX.

2) *Ueber die Entstehung der Ilias und der Odyssee. Berlin* 1856 pp. 423 sqq.

dos satis nunc inter omnes constat. cumque non minus vv α 4. ε 13. ε 30. ex illo numero removendos esse postea probare nobis videamur, primum quam vim habeant β 174 sqq. quaeramus. hic autem quanquam Halitherses auspex Ithacensibus Ulixem rediturum esse non aliis verbis praedicit nisi

φῆν κακὰ πολλὰ παθόντ, ὀλέσαντ ἄπο πάντας ἑταίρους,
ἄγνωστον πάντεσσιν ἐεικοστῷ ἐνιαυτῷ
οἴκαδ' ἐλεύσεσθαι.

tamen non est cur postulemus ut quae sit regis calamitas quaeque sit caussa errorum longo sermone persequatur. contra ei Ulixem multa perpessum omnibusque sociis deperditis venturum esse sat est conmemorare; quare errorum caussam non Neptuni iram esse nec Jovis voluntatem fratris ulciscendi nequaquam concludi potest. sed cum Jacobus ipse hunc locum nullius momenti esse aperte fateatur, nihil obstat quo minus ad versus δ 555 sqq. transeamus. sed ne inde quidem quod ille vult consectarium est. nam Proteus Ulixem a nympha retineri nec navem habere, qua domum perveniret se vidisse narrat. itaque quibus erroribus hic prius quam ad Calypso venerit vexatus sit, quaeque sit errorum caussa, ex hoc loco adeo non colligi potest, ut quo iure Jacobus Neptuni iram, eodem Aeolum, Laestrygones, Circen, Sirenes, Scyllam poetae ignotos fuisse efficere possit. quanquam non parvam habere vim vv. ε 105 sqq. ei concedendum est. hic enim Minervae ira factum esse ut Ulixes puniretur aperte legimus. at si cum his versibus alii non solum non congruunt, sed etiam repugnant, quid est cur Jacobus a scholiastis, qui vv. 108—111 re-

movendos esse censent, dissentiat[1])? quin autem cum his γ 130 sqq. conparari non possint nemini erit dubium. nam in quinto libro Ulixes Minervae ira vexatus esse dilucide traditur, hic in universum non omnes pios fuisse, non nullos deperditos esse legimus. num autem haec verba alio modo interpretari possumus, nisi non nullos pios, non nullos servatos fuisse? accedit quod Nestor γ 218 sqq. Ulixem a Minerva tantopere dilectum esse dicit, quantopere a nullo deo ullum hominem; praeterea dea ipsa γ 231 sqq. Telemachum sic consolatur, hominem, quamvis remotus sit, tamen a deo, qui ei faveat, servari posse[2]). nonne his omnibus cogimur ut Ulixem unum ex eis fuisse sumamus, qui Minervae odium in se non convertissent? sed ut his locis quod ille vult evincatur: quibus in libris inveniuntur, eos non ab eo poeta, qui embolium conposuit, factos esse consequens est. itaque ut videamus utrum Jacobus an Nitzschius recte iudicaverit nunc nobis quae sit emboli fabula ipsa adcuratius pervestigandum est.

Atque ille quidem ut sententiam suam probet Ulixem a Cyclopibus profectum ad Aeolum venire dicit nullo detrimento a Neptuno accepto (p. 428); salvum et incolumem eum in patriam perventurum fuisse, nisi socii utrem patefecissent; ne tum quidem eum a deo vexari, cum ad Aeolum revehatur, sed ventis adversis. at quod incolumis ad Aeoli insulam venit haudquaquam ab eis, quae antea narrantur, abhorret. Poly-

1) vide Koechlyi de Odysseae carminibus dissertationem Turici 1862. p. 14.

2) hunc locum recte interpretatus est Nitzschius ad Odyss. I. p. 176.

phemus enim ι 532 sqq. a patre petierat ut, si Fato ei ut rediret destinatum esset, longo saltem tempore intermisso rediret. itaque cum non poenam subitam ac praesentem, sed ut quam diutissime a patria retineretur petiisset, optime fieri potuit ut ad Aeolum perveniret Neptuno non intercedente; utre enim patefacto a patria deicitur incipiuntque errores. quanquam κ 27 socios sua ipsorum culpa in perniciem incurrisse Ulixes ipse dicit, et κ 31 somnum non dei opera, sed ipsius fatigatione adlatum esse legimus. at ex eis verbis, quibus Aeolus κ 75 Ulixem, quippe qui in deorum sit odio, ab insula depellit, sociorum curiositatem haud sine deo vindicante excitatam esse facile quivis coniciet. deinde Jacobus adfert illum per Laestrygones, non per Neptunum naves deperdere; hos autem, quippe qui suis ingeniis feroces ac barbari sint, a deo stimulatos esse haud esse veri simile. at hoc minime est necessarium. nam Ulixi omnia dolorum atque inpedimentorum genera destinata sunt; deus contra ipse intercedat tempestatemque excitet vel naufragium necesse esse nullo modo evinci potest. atque idem dicendum est de eis, quae contra cetera Ulixis pericula adferuntur: ubivis Neptunum atque Jovem ut Polyphemi optatis respondeant dolores ac moram inferre perquam probabile est. quanquam enim, quoniam utrumque iter aeque periculosum esset, non Neptuni opera factum esse ut non Charybdin, sed Scyllam praeterveheretur, illi concedendum est, tamen ut omnino ad Circen, a qua provehenti ei pericula illa subeunda erant, veniret, haud sine infesto numine factum esse unus quisque pervidet. quod autem venefica μ 107 eum ne a Neptuno quidem servari posse dicit, unde

eam dei odium ignorare Jacobus consequens esse vult, ex hoc nihil aliud, nisi Circen multa, non omnia scire colligendum est. sed non futurum fuisse ut ultima calamitate adfligeretur, nisi socii inpii fuissent adversus Solem suo iure contendere videtur. huius enim dei odium τ 275 ab Ulixe expresse proprieque conmemoratur. at ea ipsa re eorum sententiam, qui hunc librum ab alio poeta, atque a quo embolium, conpositum esse volunt probari cum iam supra diximus, tum ne illam quidem libri duodecimi narrationem cum ceteris rebus repugnare adparet. nam cum Eurylochus ut ad insulam naves adpellant postulet, Ulixes deum malum quoddam moliri se cognovisse μ 295 dicit; ventum adversum, qui μ 325 inpedit quo minus longius provehantur, casu quodam excitatum esse haud est veri simile; somnus denique, quo Ulixes μ 338 consopitur, a deis esse adlatus expresse conmemoratur. quibus ex rebus quanquam non futurum fuisse intelligimus, ut naves perderet, nisi socii scelus in Solem conmisissent, tamen hoc scelus ipsum cum eis, quae antecedunt optime cohaerere negari non potest.

§ 5.

Atque hac quidem argumentatione ut a Jacobo dissentimus, ita Nitzschi sententiam probare videmur. sed ne hic quidem omnibus medetur difficultatibus. nam si Ulixis culpa re vera huius fuisset momenti, cuius ille vult, certe poetae, quippe qui aliis locis quo modo res inter se cohaerent, adcuratius describere non omitteret, tam multa cogitationi nostrae permittere non licebat. itaque quamvis probabilia sint ea, quae contra Jacobum adtulimus, tamen non sine omni probabilitate contende-

rit quispiam non magis Ulixis errores ad culpam referendos esse, quam poetam id egisse, ut eum uno quoque tormentorum genere cumularet. quod si haec culpa, id quod Nitzschius vult, sola atque una errorum caussa fuisset, poeta saepius sane quam ε 286 atque ι 551 sqq. eius mentionem facere debebat. quanquam posteriore horum locorum Jovem post Polyphemi precationem sacrificia non curasse, sed malum quoddam excogitasse legimus. at ut Nitzschi sententia probetur, nonne erroribus incipientibus Neptunum eodem modo, atque Solem eis peractis ad fratrem querelam deferre multo magis conveniebat? quod quidem eo maiorem habet vim, si qualis sit totius narrationis exordium adcuratius pervestigamus. ad hoc enim (ι 37) Jovem Ulixi Troia solventi prius quam ullum deum laesisset perniciem molitum esse iam Naegelsbachius dixit [1]. deinde dixerit quispiam Jovis Fatum (Διὸς αἶσαν), quod ι 52 legimus, ex eo pendere, quod socii Ulixi ne diutius conmorarentur monenti adeo non obsecuti essent, ut cibo vinoque corpus curarent. at inde detrimentum a Ciconibus acceptum repetere possis, non tempestatem, quae (ι 67 sqq.) eis a Jove excitatur; non cur ι 79 sqq. ad patriam pervenissent, nisi undis et fluctibus deiecti essent; non denique cur summa modo contentione Lotophagos effugiant. tum Ulixem Minervae odium suscepisse omni caret, ut iam supra demonstravimus, probabilitate; contra ι 317 huius tutelae memor esse expresse traditur; neque minus ex auxilio, quod ei a nympha proficiscenti ε 381, 427. fertur, sententiae nostrae fides augetur. quid igitur ob-

1) theolog. hom. ed. II. p. 36.

stat quo minus dea in prioribus quoque periculis ei succurrat? atque eam quominus emboli fabula progrediente hoc faceret, Neptuni verecundia inpeditam esse nemo negabit; cur autem nec consilio nec re eum tuetur priusquam caecet Polyphemum? nonne igitur illi, quem potissimum diligit, eam hanc ob rem non adesse nostro iure statuimus, quod poeta quam gravissimis eum doloribus cumulare vult, quodque huic rei contrarium est illius auxilium? itaque, ut haec omnia, quae contra Nitzschium adferri possunt, conplectamur, quanquam scelus in Neptunum conmissum non adeo neglegimus, ut Jacobus, tamen non magis illi adsentimur, qui Ulixis calamitatem ex solo illo scelere censet emanare. contra vero, quin hoc scelus, quanquam non parvi est momenti, tamen postea iamiam sit obscuratum et Ulixi iam antea Fato sit destinatum ut erroribus vexaretur, nullo modo in dubitationem vocari posse existimo. sed ita quoque Jovis naturam atque potestatem in diversis emboli libris non esse diversam perspicuum est; ac si infra, cum quae sint eius epitheta, nomina, similia quaerimus, eos libros inter se congruere efficitur, Kirchoffi sententiam, qui maximam eorum partem eidem poetae tribuit[1]), non reiciendam esse elucet.

At priusquam hanc quaestionem ad ultimum finem perducamus, ad eam partem, qua Nitzschius Ulixem non suam ipsius superbiam expiantem facit, sed aliorum insolentiam punientem, transeamus.

---

1) *Die homerische Odyssee und ihre Entstehung.* 1859 *p.* 1 *sqq.*

§ 6.

Atque exordium capiamus a primi libri deorum concilio. cum enim accidat ut Neptunus, qui Ulixis odio ardet, apud Aethiopes absit, dei illi reditum parare decernunt. qui cum ad Jovem convenerint, hic initium facit conloquendi his fere verbis: ‚non a deis homines habent mala, sed sua ipsorum culpa. quod optime colligi potest ex Aegisthi fortuna. hic enim Agamemnonem interficere eiusque uxorem in matrimonium ducere non est veritus, quanquam a Mercurio ne hoc conmitteret monitus est. nunc autem poenas expendit.' cui Minerva respondens ‚utinam sic', inquit, ‚omnia scelera luantur! sed mihi ante omnes Ulixes est curae, qui quanquam desiderio tabescit, neque tibi sacra facere unquam neglexit, tamen a dea etiam nunc a patria retinetur'. ‚sane quidem', ait Juppiter, ‚ille et ingenio et pietate inter omnes excellit, sed Neptunus fili caecati caussa eum odio persequi non desistit. quanquam hic mihi ita obtemperabit neque contra omnium deorum voluntatem facere audebit, ut statim quo modo ille redeat consulatis.' cui suadet Minerva ut Mercurium in Calypsus insulam leget, qui efficiat ut eum quam celerrime dimittat. se ipsam ad Telemachum profecturam esse ut eius animum contra procorum insolentiam confirmet eumque Pylum et Spartam mittat, ut de patris fortuna sciscitetur. quibus rebus actis deorum concilium derelinquit, atque tantum abest ut num Juppiter hoc probarit cognoscamus, ut inde usque ad quarti libri finem de Telemacho narretur- tum denique septem diebus interiectis[1]) Juppiter redit

1) cf. β 1. γ 1. 404. 490 sq. δ 306.

in scaenam. nam similiter atque primi libri exordio tunc quoque dei ad eum convenerunt. tunc autem non ipse, sed Minerva facit initium conloquendi. ‚ne sit', inquit, ‚ullus rex benignus neve indulgens, quoniam nemo Ulixis imperio subiectus illius est memor, qui maxima patris instar mansuetudine regnavit.[1]) nunc autem ut domum perveniat ei non contingit. sed „illi" filio Pylum et Spartam profecto necem moliuntur.' cui Juppiter: ‚nonne', inquit, ‚tu ipsa ut Ulixes veniret illosque puniret consilium iniisti? itaque fac ut Telemachus redeat, proci autem infecta re revertantur.' quo facto deorum nuncius ad nympham legatur ut ille in patriam redeat neque deis neque hominibus deducentibus. multos autem dolores perpessum eum vigesimo die ad Phaeaces ratem adplicaturum, a quibus divitiis oneratus in Ithacam perventurus sit. atque Mercurius confestim ad Calypso proficiscitur, quae quam vis aegre ferat illum quinto die dimittit et vestimentis et cibariis subpeditatum. et quo tempore post duodeviginti dierum navigationem Phaeacum terra in eius conspectum venit, eodem accidit ut Neptunus ab Aethiopibus redeat. at cum hanc rem ad embolium referendam esse adpareat, nunc in ea consistamus atque utrumque deorum concilium et per se spectemus et quo modo cum tota Odysseae fabula cohaereat.

§ 7.

Atque prius quidem a diversis partibus et inpugnatum est et defensum; in primis autem propterea, quod

1) quo iure Nitzschius (ad Odyss. II p. s) hunc locum interpretetur: ‚*Die Fürsten seines Volks, uneingedenk seiner Verdienste, verschworen gegen ihn, und das Volk gleichgültig...*' non video.

Juppiter Mercurium legare tam diu cunctatur. Beckerus enim iam in primis Jovis verbis offendit[1]), quod aliud conloqui exordium non inveniat, nisi Aegisthi scelus, quippe quod iam ante novem annos conmissum et abhinc duobus annis expiatum sit. quanquam, ut Scholiastae ineptissimam interpretationem mittamus[2]), non cum Lehrsio[3]), dicendum est Jovem post varios alios sermones ad hominum fortunam et culpam transire. nam aliorum sermonum non modo nullum invenimus, sed etiam quod eis contrarium est. quid enim aliud, si v. 28 legimus.

τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

consectarium est, nisi quae verba haec secuntur, ea omnium esse prima? neque minus Nitzschius in errore videtur versari, cum Ulixem cum Agamemnone ideo conparari posse censet, quod in similem atque ille calamitatem incidere possit.[4]) nam quos locos adfert, (α 298. ν 383. λ 444. ω 192) his id quod vult non effici inde adparet, quod in hoc deorum concilio nusquam quaeritur, quae sit post reditum Ulixis fortuna, sed ubique quo modo in patriam perveniat. itaque si prima Jovis verba (vv. 34 sqq), versum 43, ea denique quae Minerva v. 47 respondet consideraverimus, multo probabiliora videbuntur quae ab illo ad Odyss. II p. XXXIX

---

1) sched. Hom. p. 104.

2) schol. Q. ad v. 36. γαμήλιος ὢν ὁ θεὸς ἀναγκαίως τῶν γάμων προνοεῖται.

3) de Aristarchi studiis Homericis ed. II. p. 425.

4) ad Odyss. I. p. 12 II. praef. p. XXXIX.

adferuntur. hic enim homines non poenas dare nisi peccaverint exemplo confirmari existimat.[1]) atque ita ea quoque, quae Beckerus contra Mercuri legationem dicit[2]), refelluntur. nam quo modo melius hominum voluntates esse liberas demonstrari potest, quam si quis deorum praecepta, quae ad ipsum expresse delata sunt, contemnit eisque repugnat?

Multo autem graviora sunt quae contra Jovis cunctationem adferuntur. nam septimo demum die Mercurius legatur, interposito autem tempore Telemachus ad Nestorem et ad Menelaum se confert. suo autem iure Beckerus hoc iter prorsus supervacaneum atque inutile esse dicit. ‚Telemachus,' inquit, ‚se oblectat aliquot dies apud illos, neque quidquam de patre cognoscit, quod ipsi huius excipiendi atque in regnum restituendi facultatem det.' at non solum inutilis est haec cunctatio, sed etiam perniciosa. nam Ulixes Phaeacum insulam non vigesimo tertio capit die, cum Neptunus apud Aethiopes epulatur, sed undetrigesimo demum, ita ut ille iam rediens eum naufragio vexet. atque Nitzschius quidem, ut hanc cunctationem probet, Jovem fratris numen revereri adfert[3]). quamvis enim singulos deos conmunibus consiliis oboedientes faciat, tamen eum similiter atque in Iliade invitum facere ut alii morem gerens alium offendat. at cum e versibus ε 288 et ι 532 patet Neptunum nihil posse nisi Ulixis reditum retardare, tum hu-

1) cf. Lehrsium p. 425.

2) nam p. 104 eam dicit ‚*eine bis zur Albernheit phlegmatische Intervention*'.

3) ad Odyss. III. praef. p. XIV.

ius errores tam diu permansisse adparet, ut, praesertim cum ille ν 147 dilucide oboediens obtemperansque esset, cum Jovi errores finire volenti repugnaturum esse vix quisquam coniceret. quo accedit quod Juppiter ipse α 77 fratrem iram missurum neque solum omnium deorum voluntati reluctaturum dicit. ut denique re vera eius metu inpeditus sit quo minus Mercurium legaret, tamen quo tempore mittitur, eo non est cur in minore sit metu; atque secundum Nitzschium ne post alterum quidem deorum concilium fratri repugnare ei licebat [1]).

At ut omnia haec argumenta sint vana et omnia optime inter se cohaereant, ne tum quidem hoc concilium suo loco est positum. si enim Nitzschius, ut iam supra diximus, maximam totius fabulae partem in poenis versari putat, quas Ulixes a procis repetit, quas contra poenas ipse solvit non describi nisi embolio, quo modo fieri potest, ut hoc concilio, quippe quod non embolio, sed alteri fabulae parti praepositum sit, haec pars adeo non conmemoretur, ut ubivis de erroribus ac qua ratione sint finiendi agatur [2])? itaque hoc concilium eorum carminum prooemium esse, quibus de erroribus agitur, luce est clarius; id non vindicantem Ulixem inducere, sed efficere ut speremus fore ut Juppiter aut quod statuit quam celerrime efficiat aut cum fratre in certamen veniat quis est qui non videat? fortasse quispiam dixerit erroribus finitis Ulixi vindicandi potestatem fieri. at ubi tandem hoc legitur? quo iure hoc cogitatione supplere

1) vide Lauer. quaestt. Hom. pp. 6 sqq.

2) nam vix quemquam scholiastis HV., qui versu 77 procos significari putant adsentiri existimo.

nobis licet? quo modo cum qui hoc concilium conposuit non quae esset post reditum Ulixis fortuna, sed qua ratione hic reditus perficiendus esset spectarit, coniecturam nostram, qua non ideo eum nihil nisi reditum moliri putamus, ut eo maiora praeparentur facta, sed quod nihil nisi reditum versibus persequi cogitaverit, non omni existimamus carere probabilitate. itaque hoc concilium non tam per se spectatum, quam si quo modo cum ceteris rebus cohaereat quaerimus summam habet offensionem.

§ 8.

Idem autem dicendum est de altero deorum concilio. nam quod Jacobus p. 391 aequabilitatem ac lentitudinem, quacum Juppiter ε 27 procorum est memor, ineptam esse dicit eo refellitur, quod propterea modo eos domum venire permittit neque extemplo poena persequitur, ut ab Ulixe et Telemacho, in quos multa inpie nefarieque conmiserint, interficiantur[1]). maxime autem abhorret hoc concilium ab eis, quae antecedunt quaeque secuntur. quanquam scholiastae ad v. 3 dicunt: ἡ μὲν γὰρ πρώτη βουλὴ περὶ τοῦ σώζεσθαι Ὀδυσσέα, αὕτη δὲ περὶ τοῦ πῶς. κατὰ μὲν τὴν πρώτην ἐκκλησίαν ὁ Ζεὺς παρεῖχεν ἀφορμὴν τῇ Ἀθηνᾷ αὐτὸς ἐναρχόμενος τοῦ λόγου, νῦν δὲ ἡ Ἀθηνᾶ κατάρχεται. at videamus num hoc sit verum! ac primum quidem hoc concilium nullo modo cum eis, quae antecedunt cohaeret. neque enim Minervam iam suasisse ut Mercurius legaretur cognoscimus neque quae

1) praeterea Nitzschius (ad Odyss. II p. 9. cf. *Sagenpoesie der Griechen* p. 151) vv. 39 sq. qui sunt in Jovis oratione, removendos esse arbitratur.

sit Jovis ac Neptuni conditio. immo potius, huius adeo non fit mentio, ut poeta quae sit eius ira in Ulixem conceptа plane nescire videatur. sed contra ubivis de procis et de Telemacho agitur. quanquam enim, si versum quintum spectamus, orationem in erroribus describendis versaturam esse suspicamur, tamen hi Telemachi cura prorsus obscurantur; et quanquam v. 6. Ulixes Minervae cordi esse videtur, tamen eam nihil spectare nisi fili salutem e vv. 18 sqq. adparet. neque Juppiter quidem quidquam antiquius habet, quam ut filius incolumis redeat, huiusque modo caussa Mercurium legare videtur. ac verba quoque, quibus hunc adpellat, non vacant offensione. v. 32. enim Ulixem rediturum esse dicit

οὔτε θεῶν πομπῇ οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων.

quae quamvis saepe formulae quae dicitur locum obtineant, id quod Ameisius adpendice probare conabatur [1]), tamen abhorrent ab eo, quod postea et Leucothea et Minerva maximam vim habent ad Ulixem servandum. neque magis probatur quod Faesius ad hunc locum censet Ulixem non deducendum esse, ne Neptunus ira inflammetur. quasi vero hic non tacite discedat, quanquam illum Leucotheae taenia servari videt. Koechlyius denique (diss. I p. 13) atque Jacobus (p. 392), recte dicunt secundum Jovis verba Ulixi in rate ad Phaeacum terram veniendum fuisse. sed hoc quoque eis, quae secuntur repugnat; nam rate destructa se non servat nisi natando. hoc igitur alterum concilium nec cum eis congruit, quae

1) quo minus cum eo orationem ita distinguamus, ut hic versus non cum eo iungendus sit, qui antecedit, sed qui sequitur, cum rationibus grammaticis inpedimur, tum eo, quod sententia, qua Ulixes sine dei cuiusdam auxilio ad Phaeaces pervenire dicitur non mutatur.

antecedunt; nam memoria rerum praeteritarum prorsus evanuit, ita ut Minerva Jovem prioris conloqui adeo non conmonefaciat, ut incipiat, quasi nunquam de Ulixe egerint; nec cum eis, quae secuntur, nam in eo insunt quae eis repugnant. quamvis autem facile hanc offensionem versus 37—40 removentes tollere possimus, tamen ut hoc concilium quem locum nunc obtinet, eo recte positum putemus, fieri nullo pacto potest. eis enim versibus, qui usque ad tertium decimum librum secuntur, nihil nisi reditum agi adparet; procorum autem insolentiam puniendam esse nullo loco legimus [1]). atqui in deorum conloquio reditus non alium habet finem, nisi ut haec insolentia puniatur; hic finis adeo est gravissimus, ut Neptuni iram, qua in primo libro nihil erat maioris momenti, et Juppiter et Minerva plane silentio praetereant. ut ergo illud prius concilium, quanquam ei parti praepositum est, qua Nitzschius summam fabulam contineri vult, tamen re vera emboli fabulam inchoat, ita hoc alterum embolio est praepositum neque coniungi potest nisi cum altera illa eaque maiore parte. atque ut inter se sint permutata, id quod primum conicias, fieri non potest. nam ut utrumque per se spectatum ad eam partem sit aptum, cui id praepositum esse demonstravimus, tamen alterum ab altero abhorrere, si singulae partes coniunctae sunt, argumentis satis firmasse nobis videmur. itaque eorum sententia probabilis est, qui altero eorum principale ac genuinum prooemium servatum esse existimant; hoc autem esse prius facile quivis concedet.

---

1) itaque in numerum eorum versuum, quos Kirchhoffius hanc ob caussam removet, in primis ι 535 referendum esse existimo.

nam posterius non magis operose quam inepte ex diversorum librorum versibus diversis congestum esse ac confusum iam dudum viri docti evicerunt[1]), neque est quod pluribus verbis in eo conmoremur. at num prius illud cum embolio coniungere nobis liceat, id quod cum alii tum Kirchhoffius fecerunt, multum habet dubitationis. nam ex eis, quae supra exposuimus, patet in eo scelus in Neptunum conmissum atque hominum liberam voluntatem ita primo loco conlocari, ut quam sententiam Nitzschius de totius fabulae fine profitetur, valde probabilis videatur; quod contra de embolio diximus, id prorsus huic contrarium esse negari non potest. ut igitur hanc quaestionem ad finem perducamus, relicum est ut quae alia de Jovis natura atque potestate adferuntur colligamus. quod facere eo minus dubitabimus, quod his duobus conciliis pervestigatis quam vim Juppiter ad Odysseae fabulam progredientem habuerit plane perspeximus. nam in caeteris libris extremo solo excepto nusquam ipse in scaenam prodit, sed ex aliis quae sit eius natura atque potestas cognoscimus. quod autem in extremo illo libro facit, id adeo non est grave, ut melius in altera parte consideretur. quanquam cum in hac totius fabulae parte, quam Nitzschius ab embolio discernit, Minervae auxilium summi sit momenti, eamque Jovis partibus fungi adpareat, quae sit haec fabula simili-

---

1) quanquam non Caroli Schmitti vestigiis insistendum est, qui in libro qui inscribitur ‚de secundo in Odyssea deorum concilio interpolato eoque centone. Friburgi Brisgaviae 1852‘ versum 25 ex his partibus congestum esse existimat: Τηλέμαχον δέ (Od. π 4. a. l.) σὺ πέμψον (Od. γ 369) ἐπισταμένως (Od. λ 368 a. l.) — δύνασαι γάρ — (Od. γ 327 a. l.)

ter atque antea quaerere non alienum videtur, ut inde num sit Jovis natura atque potestas in partibus diversis diversa intellegamus. at primum hic Minerva sola fere et una inducitur; in embolio Neptunus multo magis Jovis opera, quam hic illius id quod vult efficit, ita ut, si Minervae agendi rationem adcuratius perscrutamur, multo magis quae sit huius deae natura atque potestas ostendamus, quam Jovis. deinde in hac parte satis multa inveniuntur, ex quibus num sit Jovis natura in partibus diversis diversa concludamus; ad Minervam vero in altera disputationis parte revertemur.

§ 9.

Ordiamur ergo ab eo, quae sit Jovis natura atque potestas in embolio, quod cum Kirchhoffio inde a libri quinti versu 43 usque ad libri terti decimi versum 184 pertinere statuimus. ac primum quidem quam rationem habeat cum aliis deis si quaerimus, nusquam inperium terminis circumscriptum nec definitum est. Mercurius enim monet (ε 146) Calypso ut vitet eius iram ac poenam; nam fieri non potest ut alius deus eius voluntatem eludat et ad irritum redigat (ε 137)[1] uxorem autem eius Junonem esse ex ϑ 465 cognoscimus, ubi ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης vocatur. neque minus Latonam in matrimonio habet; nam ex ea Apollo filius est natus (λ 318. 580[2]) ϑ 334). ceterorum autem liberorum Mer-

1) Kirchoffius l. l. p. 7. removet vv. 103 sq. quod interpositi sint ex 176 sq. at hunc typothetae esse errorem inde patet, quod illi versus non inveniuntur nisi 137 sq.

2) quanquam Lauerus l. l. pp. 25 sqq. contra dicit, tamen vv. 565—627 melius reiciuntur, id quod post Nitzschium (ad Odyss. III

curius ϑ 335 nomine quod est Διὸς υἱός adpellatur; inprimis vero Minervae cognomina quae sunt κούρη Διός atque Διὸς ἐκγεγαυῖα induntur, id quod et ex ε 382. ζ 151. 323. et ex ξ 229 cognoscimus. et simili modo nymphae ζ 105 ι 154 κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο vocantur; Venus ac Proserpina ϑ 308 λ 217. Διὸς ϑυγατήρ. Musa ϑ 488 Διὸς παῖς[1]). sed ne mortales quidem mulieres ab eo repudiatae sunt, non Alcmena, quae ei Herculem peperit (λ 268 cf. 620); non Antiopa, e qua Amphion et Zethus sunt geniti (λ 261). Castor autem et Pollux iam apud inferos ab eo honoribus adficiuntur (λ 302). Pelias et Neleus vocantur λ 255 τὼ κρατερὼ ϑεράποντε Διὸς μεγάλοιο[2]); Aeolo, qui deis est carus (κ 2), ventorum cura est delegata (κ 21). sed haec iam ad rationem, qua Juppiter cum hominibus coniungitur, sunt referenda. atque his est auctor dierum ac temporum (μ 399). eius imbres arvis dant fecunditatem[3]) (ι 111. 358). fluvii sunt διιπετεῖς[4]) (η 284); mittit ventum secundum (ε 176); eius fulminibus naves percutiuntur ε 132. η 249. ab eo se morbis insanabilibus adfici putant Cyclopes ι 411; in

---

p. 304. cf. *Sagenpoesie* p. 130) viderunt Heerklotzius *Betrachtungen über die Odyssee* 1854. p. 17. Kirchhoffius *Die Composition der Odyssee. Berlin* 1869 p. 91.

1) neque minus Juventutem vocat poeta λ 604 παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου. at recte hic versus removetur quod interpositus est ex Hesiod. theog. 952.

2) schol. V. ‚βασιλεῖς, καὶ γὰρ οἱ πολεμικοὶ ϑεράποντες Ἄρηος'. Maetzner de Jove Homerico. Berolini e. q. s. 1834 p. 47. ‚in civitatibus moderandis Jovis mandata exsecuti esse videntur'.

3) cf. Welcker. *Griech. Götterlehre* II p. 176.

4) vide Curti *Grundz. d. Etym.* ed. II. p. 191.

eius tutela ac fide sunt hospites ac mendici ζ 207. η 164 ι 270[1]). eius poena metuenda est eis qui aliquid inpie agunt in illos. sed nefas esse mortalibus deas amare ex eo videmus, quod ε 146 Jasion Cereris amore incensus Jovis fulmine necatur. nam Juppiter est solus fere auctor hominum fortunae; variis modis eorum res regit ac moderatur ε 304. 409. ζ 188. 316. ϑ 82[2]) 245 ι 262. κ 297. 436. 560. μ 215. itaque ante omnes inploratur η 331. ϑ 465. ι 294. 552; simul cum Minerva atque Apolline η 311[3]); ei libant homines et faciunt sacrificia η 164. 180. ϑ 432. ν 25. cf. 51.

Legentibus autem nobis ε 114 sq. in verbis Mercuri

,ἀλλ' ἔτι οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν'

verbum quod est μοῖρα, in mentem venit, si quis quaerit quae sit Jovis natura atque potestas, eum pervestigare solere utrum sit Fati inperio subiectus nec ne. per se quidem spectatus hic locus nihil habet quod in eo conmoremur. nam verbo quod est μοῖρα nihil aliud significari nisi deorum vel Jovis consilium luce est clarius, si quo modo haec verba cum eis, quae antecedunt cohaereant spectamus. neque minus sententia nostra probatur versibus ϑ 410 sq.

---

1) recte dicit Koechlyius (diss. II. p. 8) ad ι 271: ,satis probabiliter Beckerus ι 271 ad imum marginem relegavit, qui versus et post antecedentem ... mirifice languet nec obscurae originis est quippe decoctus ex η 165 = 181'.

2) schol. H. ad 81 sq. ,ἐν ἐνίαις τῶν ἐκδόσεων οὐκ ἐφέροντο. διὸ ἀθετοῦνται', id quod Koechlyius probavit.

3) vide Koechlyi diss. I. p. 34. ,v. 311, qui B 371... et adeo ω 376 in votis antecedentium rerum verborumque tenore excitatis suum locum occupat, hic miro casu quasi de coelo delapsus videtur'.

σοί δέ θεοὶ ἄλοχον ἰδέειν καὶ πατρίδ' ἱκέσθαι
δοῖεν, ἐπεὶ δὴ δηθὰ φίλων ἄπο πήματα πάσχεις.

et κ 472 sqq.

δαιμόνι', ἤδη νῦν μιμνήσκεο πατρίδος αἴης,
εἴ τοι θέσφατόν ἐστι σαωθῆναι καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐυκτίμενον καὶ σὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

nam cum his tum illis idem de deis dicitur quod antea de Fato. eodem autem modo intellegendi sunt versus ε 312. 345. 436[1]) ι 532 et vox quae est αἶσα[2]), quam legimus ε 113. 206. 288. sed contra η 196 sqq. invenimus

ἔνθα δ' ἔπειτα
πείσεται ἄσσα οἱ αἶσα κατὰ κλῶθές τε βαρεῖαι
γιγνομένῳ νήσαντο λίνῳ ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

quo loco cum expresse deae conmemorentur, quae hominum sortes destinant, cogimur ut adcuratius anquiramus utrum Jovis voluntas sit libera ac summa an Fati imperio subiecta.

Secundum Curtium autem (l. l. p. 297) verbum quod est μοῖρα pariter ac μείρομαι, ἔμμορα, εἵμαρται ducendum est a verbo nativo quod est ΜΕΡ et principio idem valet quod μέρος, quod partem significat. ex hac principali notione paullatim ea est profecta, quae est ‚pars iusta, id quod alicui debetur'. itaque θ 470. partes ad epulandum distribuendae μοῖραι vocantur, et versu λ 534.

μοῖραν καὶ γέρας ἐσθλὸν ἔχων ἐπὶ νηὸς ἔβαινεν

vox quae est μοῖρα paullum differt a verbo quod est γέρας. progrediente autem tempore notio illa principalis

---

1) de verbis quae sunt ὑπὲρ μόρον, quae in hoc versu legimus, uberrime egit Naegelsbachius theol. Hom. ed. 2. III. 10, pp. 139 sqq.

2) vide Doederlini Gloss. Hom. § 429. Naegelsb. l. l. pp. 122 sqq.

obscurabatur et remansit vis iusti, quam invenimus in verbis quae sunt κατὰ μοῖραν, quae nos vertimus ‚*nach Fug*‘ (vide η 227. ϑ 54. 141. 397. 496. ι 245. 309. 342. 352. κ 16. μ 35. ν 48). sed haec etiam significatio evanuit et principalis illa quae est ‚pars‘ ita definiebatur et circumscribebatur, ut id quod hominibus sit destinatum, i. e. sortem significaret; quem in numerum referendi sunt omnes loci, quos iam antea adtulimus. quae sors tempore progrediente ita definiebatur, ut esset sors moriendi, i. e. mors; quanquam in hoc embolio non invenitur nisi μέρος, quod idem significat, idque coniunctum cum verbo quod est ϑάνατος. (vide ι 61. λ 409. κ 175). quae significatio similis est voci quae est κήρ. nam hoc modo interest, quod haec et singulariter dicitur et pluraliter, illa singulariter[1]). itaque legimus λ 171 (cf. 398)

τίς νύ σε κὴρ ἐδάμασσε τανηλεγέος ϑανάτοιο;

μ 157.

ϑάνατον καὶ κῆρα φύγωμεν

ε 387 autem

ϑάνατον καὶ κῆρας ἀλύξας.

at non deam quandam a Jovis atque aliorum deorum voluntate solutam in omnibus his versibus intellegendam esse colligimus conparantes ι 52 Διὸς αἶσα λ 61. δαίμωνος αἶσα [2]) λ 292.

χαλεπὴ δὲ ϑεοῦ κατὰ μοῖρα πέδησεν

---

1) vide Nitzsch. ad Odyss. I pp. 177 sqq. Naegelsb. l. 1. pp. 147 sq.

2) at haec ipsa verba tam inusitata sunt, ut Laueri coniecturam probem, qui l. l. pp. 10 sqq. vv. 51—83 removendos esse censet. cf. Kirchhoff. Die Compos. d. Odyss. p. 90.

λ 559 sq.

Ζεὺς Δαναῶν στρατὸν αἰχμητάων
ἐκπάγλως ἤχθηρε, τεΐν δ' ἐπὶ μοῖραν ἔθηκεν.

verbum igitur quod est θέσφατον vix aliter intellegendum est atque sors a Jove hominibus vel destinata vel praedicta. (cf. ι 507. λ 151. 297. μ 155. ν 172.)

Quo modo quanquam aliquot locis vestigia quaedam atque indicia inveniuntur, quibus verbo quod est μοῖρα dea quaedam hominis specie induta significetur [1]), tamen η 197, unde initium huius quaestionis cepimus, cum nullo ceterorum locorum conparari potest. ac Naegelsbachius quidem hunc locum in dubitationem vocat [2]). quid autem obstat quo minus eo Kirchhoffi sententia probetur, qui η 185—232 interpositos esse existimat [3])? quae cum ita sint, Naegelsbachio, qui verbo quod est μοῖρα primum apud Graecos unius dei notionem exprimi putat [4]), adsentiri, quantum nunc quidem videmus, nullo pacto possumus. immo potius, haec notio aliis cognoscitur rationibus. primum enim illa inde patet, quod conpluribus locis dei et pluraliter et singulariter inducuntur non vocati nisi verbis quae sunt θεοί et θεός. et quanquam prius illud verbum non raro vix quidquam aliud significat nisi singulos certosque deos, atque cum numero singulari coniunctum est pronomen quod est τὶς, tamen hi loci non sunt pauci, quos non solum vertere possimus ‚*die Gottheit*, *Gott*', sed quibus de verbis quae sunt θεός

1) vide Naegelsb. l. l. p. 125.

2) Nachhom. Theol. p. 150. cf. Autenriethi adnotationem ad theol. Hom. p. 123.

3) Die hom. Odyss. praef. p. IX. n. 5.

4) theol. hom. pp. 143 sq.

et θεοί idem dicatur quod paullo ante aut paullo post de Jove [1]). quae unius dei notio adparet in versibus ε 397. ζ 174. 180. 203. η 132. 148. 190. 214. 242. 254. θ 76. 89. 167. 410. 413. 457. 509. 579. ι 15. 107. 269. κ 2, 74. 299. 306. λ 73. 133. 139. 274. 276. 332. 341. 555 [2]). μ 190. 290. 337. 356. 394. 448. ν 41. 45. 54. quibus locis dei pluraliter inducuntur; η 286. θ 170. 177 [3]). ι 158. 339. λ 292. μ 38. 419; quibus singulariter; de Jove denique dici quod de deis cognoscimus conparantes versus ε 128 cum 122. 129; ζ 205 cum 207; η 250 cum 254; ι 269 cum 270; κ 2 cum 21; μ 415 cum 419; ν 51 cum 54. sed ne obliviscamur hanc unius dei notionem eorum esse, qui eodem tempore multos colebant deos, aliquot locis cum verbis quae sunt θεοί et θεός iuncta sunt πάντες et τὶς. (cf. et θ 167. λ 134. μ 337 et ι 142). neque minus quanquam eis locis, quos antea adtulimus, de Jove idem, quod de deis dicitur, tamen aliis locis praeter eum aliorum deorum expresse fit mentio, ita ut ab eo distinguantur. itaque legimus θ 306.

Ζεῦ πάτερ ἠδ' ἄλλοι μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἐόντες

quocum conferendi sunt 432. ι 275. 479, μ 371. 377.

Deinde Odysseae propria est vox quae est δαίμων, quam ipsam quoque non nullis locis vertere possumus,

---

1) vide Welcker Gr. Goetterl. I p. 186.

2) λ 631 recte ab editoribus removetur quod ab Attico quodam interpolatore interpositus est.

3) v. 44 verbo quod est θεός Musa significatur aeque ac 498 sq. quos scholl. H.Q. eximie interpretantur dicentes: ἀπὸ τῆς μούσης ἐμπνευσθείς.

die Gottheit[1]). neque vero neglegendum est, id quod Naegelsbachius p. 74 cognovit, hanc vocem quanquam non semper, tamen saepissime tum usurpari, cum hominibus malum quoddam inpendet[2]). legitur autem ε 396. 421. ζ. 172. η 248. ι 381. κ 64. λ 61. [587.] μ. 169. 295[3]).

Sed priusquam huic quaestionis parti finem inponamus restat ut num Juppiter illi rei adfuerit quaeramus, quae libro octavo describitur. quod quidem conicere possumus legentes vv. 305 sqq.

σμερδαλέον δ'ἐβόησε γέγωνέ τε πᾶσι θεοῖσιν.
,Ζεῦ πάτερ ἠδ' ἄλλοι μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἐόντες
δεῦθ', ἵνα ἔργα γελαστὰ καὶ οὐκ ἐπιεικτὰ ἴδησθε.'

at inde, quod 322 sq. in numero eorum, qui ad Vulcanum convenerunt, non numerantur nisi Neptunus, Mercurius, Apollo; quod Vulcanus, quanquam 324 deas pudore permotas domi mansisse legimus, tamen 341 dicit

ὑμεῖς δ' εἰσορόωτε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι,

quod denique Juppiter nusquam aut conprobans aut vituperans adparet, nostro iure concludimus versum illum 305 non minus formulae quae dicitur locum obtinere

---

1) vide O. Mueller. *Prolegomena einer wissenschaftlichen Mythologie. p.* 245.

2) cum alia tum hoc verbum ad id, quod est θεός eandem rationem habere, quam numen ad personam divinam adferunt Naegelsb. l. l. p. 72. Nitzsch. ad Odyss. I. p. 89. II p. 64. III p. 391. Lehrs Popul. Aufs. p. 125.

3) Si hunc versum cum ι 554 conparamus, quo de Jove dicitur

ἀλλ' ὅ γε μερμήριζεν ὅπως ἀπολοίατο πᾶσαι
νῆες ἐύσσελμοι καὶ ἐμοὶ ἐρίηρες ἑταῖροι

coniectura, qua eum non tam certum deum, quam numen divinum in universum significare putamus, non omni carere videtur probabilitate.

quam 341, ita ut Jovem non adfuisse statuamus. non est igitur quod diutius in hac re conmoremur.

§ 10.

Sequitur ut quaeratur ubi sit Jovis domicilium ac sedes. uberrime autem de hac re egit Voelckerus[1]). comparatis enim et pervestigatis omnibus locis quanquam deorum una ac sola sedes nusquam sit caelum, tamen Olympum montem non nullis locis (Θ 18—26. O 18 sqq. ζ 42 sqq.) obscuratum esse vult notione perfectioris et pulcrioris domicili. cui Nitzschius ita adsentitur, ut Olympi montis notionem non inveniat nisi in Iliade, id vero, quod Voelckerus de perfectiore sede dicit, ad totam Odysseam pertinere existimet[2]). quanquam, si omnes huius emboli locos, quibus de deorum sede agitur, inter se conparamus, ε 50, quo Pieriae fit mentio, mons Macedonicus nobis in mentem venit. atque eadem notio poetae animo obversatur cum ei κ 307 dat epitheton quod est μακρός, neque ei repugnat quod ε 80 ϑ 321[3]) deorum domus conmemoratur; quod Juppiter ζ 188 Ὀλύμπιος dei ζ 240. ϑ 331. μ 337 οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν vocantur, quibuscum conparandus est λ 313[4]). at Οὐρα-

1) geogr. hom. § 5—13. cf. Lehrs de Arist. stud. hom. ed 2. pp. 164—174.

2) ad Odyss. II. p. 12. inprimis vero pp. 94 sqq. III p. 249. cf. Faesi praef. ed. 4. p. 17.

3) in hoc versu Vulcani domus χαλκοβατὲς δῶ vocatur aeque ac ν 4 Alcinoi. quam vocem interpretatur schol. N. ad. ν 4: χαλκοῦν ἔδαφος ἔχον ἢ χαλκοῦς ἔχον τοὺς βαθμοὺς τῶν θυρῶν. scholl. BL. ad A. 426: τὸ στερεὰν ἔχον τὴν βάσιν.

4) quibus difficultatibus vv. 313—318 vexentur vide Voss. epist.

νίωνες quoque dicuntur *η* 242. *ι* 15. *ν* 41. et *τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.* *ε* 169. *ζ* 150. 243[1]). *η* 209. *λ* 133. *μ* 344. *ν* 55; Polyphemus *ι* 527 non ad Olympum tendit manus supplices, sed *εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα.* *η* 199 legimus

εἰ δέ τις ἀθανάτων γε κατ' οὐρανοῦ εἰλήλουθεν.

Mercurius quanquam *ε* 45 sq. a Jove profectus *ν* 50 per Pieriam ingreditur, tamen eodem versu *ἐξ αἰθέρος* venit. sed gravissimus locus, quo nitentes perfectiorem illam deorum sedis notionem sumunt, quae abhorreat a monte nivibus obruto, invenitur *ζ* 42 sqq.

Οὔλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί
ἔμμεναι. οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μαλ' αἴθρη
πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη·
τῷ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα[2]).

ac scholiastae quidem interpretantur: *ἀχιόνιστον μὲν*

---

mythol. I p. 170. Voelker l. l. p. 8 sq. Lehrs. l. l. p. 172. sed optime omnia inter se cohaerent, si cum Nitzschio (ad Odyss. III pp. 249 sq.) quem Beckerus quoque secutus est, vv. 315 sq. removemus. at haud scio an etiam 317 reiciendus sit. nam quod hic legimus *καὶ νύ κεν ἐξετέλεσσαν* melius cum 316 quam cum 314 coniungendum videtur.

1) praeter ea *ζ* 281. *οὐρανόθεν* legimus. at et hic versus et qui antecedit spurii videntur.

2) Koechlyius (diss. I p. 17) hos versus reiciendos esse opinatur ‚non solum ex isto prorsus inaudito *ὅθι φασί*... quod toto coelo ab omni nostri carminis indole distet, sed etiam .... quod emblema splendidissimum vix loco minus commodo inseri poterat‘. at quod posteriore loco dicit non est argumentis firmatum; ad verbum autem quod est *φασί* scholl. EPQ. dicunt: ‚*διὰ δὲ τοῦ φασὶ τὴν ἐκ προγόνων παράδοσιν ἐμφαίνει καὶ οὐκ ἤδη πλάσμα τοῦ ποιητοῦ τὸ τοῦ Ὀλύμπου.*‘ quod confirmat Naegelsbach. l. l. p. 18 conparans *γ* 84 et Wolff. Prolegg. p. LXXVII.

αὐτὸν ἀπὸ τῶν ἀνωτέρω μερῶν λέγει, ἀγάννιφον δὲ ἀπὸ τῶν κατωτέρω. quam interpretationem et Voelckerus (p. 6) et Nitzschius inpugnant. hic enim quaestione sua effici vult ut hoc loco de Olympo non idem dicatur quod de Cyllene aliisque montibus, quorum vertices supra nubes emineant, sed ut dei in perfectiore et pulcriore quadam sede habitent. at ubi tandem eos habitare putat? qualem perfectiorem illam sedem esse arbitratur, quae non sit mons, non coelum? et quamvis aperte huius loci vox quae est αἴγλη discrepet ab eis, quae sunt in Iliade νιφόεις et ἀγάννιφος, tamen cum adcuratius pervestigandum est quae sit fides horum Iliadis locorum, tum eum, qui hos conposuit, non has Olympi partes in animo habuisse, quae in coelum eminerent, sed re vera deos in nivibus habitare putasse nemo facile erit qui contendat. si vero diligentius animum ad illos Odysseae versus referimus, eos non usurpari nisi de montis vertice adparet; si Pieriae, quae ε 30 conmemoratur, rationem habemus, eum, qui Odysseam conposuit, non minus montem Macedonicum spectasse luce est clarius' quam qui Iliadem. Nitzschius contra, etiam si haud ignorat (ad Odyss. II p. 93) in illa verbum quod est κάρηνα de Olympo dici, tamen hanc vocem nullius esse momenti eo efficere conatur, quod eam esse vagam atque incertam adfirmat. at quo modo magis perspicue mons significari potest, quam si eius verticum fit mentio? quid? quod vocem quae est μακρός invenimus? num quid aliud ea nisi mons declaratur? itaque Nitzschio, qui hoc modo Odysseam ab Iliade differre censet, quantum nunc quidem cognovimus, adsentiri non possumus. sed contra deorum cognomina quae sunt Οὐρανίωνες, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν

ἔχουσιν dignissima sunt in quibus conmoremur. Nitzschius enim posterius illud in Odyssea quaterdecies, in Iliade bis inveniri dicit[1]). (ad Odyss. II. p. 29). itaque nos quoque deorum sedis notione Odysseam ab Iliade differre statuemus, atque ita quidem, ut in illa sit perfectior, quam in hac. at tantum abest ut Olympus in hac, non in illa mons sit Macedonicus, ut in utroque carmine sit mons; inde autem, quod in Odyssea dei multo saepius, quam in Iliade in coelo habitare perhibentur efficitur qui illam conposuit, eum perfectiorem sedem in animo ita habuisse, ut non in ulla terrae parte, sed in coelo deos habitare putaret. notio igitur prima non est perfectior facta, sed plane alia notio pro ea est substituta.

§ 11.

Sed ab illo libri sexti loco initium quoque capiamus aliarum quaestionum. quoniam enim quae sit Jovis domicilium ac sedes cognovimus, nunc quae sint eius epitheta anquiramus. inde autem, quod, cum summus sit deus, de eo idem dicatur quod de deis in universum, patet nobis non solum ea epitheta colligenda esse et conparanda, quae Jovi soli inponuntur, sed etiam quae deis in universum. atque in hac quaestione vix ab ullo versu melius proficisci possumus quam a v. ζ 46

τῷ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.

hoc enim adducti consideramus deos vocari ῥεῖα ζώον-

1) immo potius non quater decies, sed quinquies decies; ita ut mirum sit cur Faesius numero illi a Nitzschio adlato in editionis suae praefatione fidem tribuere non dubitarit. (cf. α 67. δ 378. 479. ε 169. ζ 150. 243. η 209. λ 133. μ 344. ν 55. π 183. 200. 211. χ 39. ψ 280.)

τες ε 122. μάκαρες ε 186. ϑ 281. 306. 326. ι 276. 521. κ 74. 299. μ. 61. 371. 377. ν 55. αἰὲν ἐόντες ϑ 306. 365. μ 371. 377. ἀϑάνατοι ε 73. 80. 213. 218. 357. 447. ζ 16. 203. 309. η 5. 199. 209 [1]). ϑ 14. 174. 225. 343. 348. 352. ι 107. κ 2. 75. λ 1. 33. 250. 313. [602] μ 117. 302. 344. 370. 376. 385. ν 112. 128. neque minus Calypso dea Mercurio ambrosiam et nectar adponit (ε 93. cf. ι 359) qui cibi ε 197 expresse ab hominum cibariis distinguuntur. Oleum, quo Venus ϑ 364 a Gratiis ungitur, vestimenta, quae Calypso Ulixi dat (η 260. 265) Leucotheae taenia (ε 347) Circes iugum (ε 222) ἄμβροτα vocantur, Mercuri solia ε 45 ἀμβρόσια. quae deorum epitheta quam vim habeant cum per se patet tum si ea, quae hominibus induntur cum eis conferuntur. hi enim sunt ἀλφησταί [2]). ζ 8. ἐπὶ χϑονὶ σῖτον ἔδοντες. ϑ 222; ἐπιχϑόνιοι ϑ 479; τοὶ ἐπὶ χϑονὶ ναιετάουσιν ζ 153; ut autem dei vocantur ῥεῖα ζώοντες et μάκαρες, ita homines omni dolorum genere sunt cumulati. illi enim eis talem perniciem struunt (ϑ 579), qualis in posterum carminibus celebretur [3]). homines sunt δειλοί [4]) λ 19. μ 341. Sirenes scientiam habent malorum, quae et Argivi et

1) ν. 94 canes a Vulcano Phaeacibus facti vocantur ἀϑάνατοι καὶ ἀγήρως. sed recte et Beckerus et Koechlyius (diss. I. p. 33) hunc versum reiciunt.

2) hoc verbum, quanquam Beckerus (sched. hom. p. 113. 177.) contra dicit, tamen K. Fr. Hermannum sequentes (Philol. II 428 cf. Duentzer. *die hom. Beiwörter* etc. Goettingen. 1859. p. 27) vertimus: ‚*mehlessend*‘.

3) scholiastae interpretantur: παρηκολούϑησε δὲ τὸ τὰς πράξεις ἀοιδίμους γενέσϑαι.

4) schol. ad Φ 464; δειλῶν = ἀσϑενῶν (ἀτυχῶν).

Troiani deorum voluntate tulerunt. μ 190. cf. ϑ 489 [1]). λ 275 sq. 369. Hercules quanquam filius est Jovis, tamen λ 620 inmensam habet miseriam. de Penelopes maerore legimus λ 181 sq., ante omnes vero Ulixes ipse malis vexatur. huic enim dei miserias moliti sunt. η 242. ι 15. multa tulit et perpessus est ϑ 155. ϑ 182 sq. dicit de se ipso

νῦν δ' ἔχομαι κακότητι καὶ ἄλγεσι· πολλὰ γὰρ ἔτλην
ἀνδρῶν τε πτολέμους ἀλεγεινά τε κύματα πείρων.

et η 211: ‚quemcunque', inquit, ‚hominum miserrimum cognostis, ei conparari volo'. Mercurius dicit eum ε 105 sq.

οἰζυρώτατον ἄλλων
τῶν ἀνδρῶν οἳ ἄστυ πέρι Πριάμοιο μάχοντο.

idem variis rationibus de eo dicitur: ε 82. 206. 362. 377. ζ 173. η 147. 152. 214. 221. 224. 243. 270. ϑ 411. 540. ι 37. 53. 75. κ 143. 454. 458. λ 115. 167. 369. μ 259. 427. ν 6. 90. 131. itaque vocatur *πολύτλας* ε 171. 354. 486. ζ 1. 249. η 1. 133. 139. 177. 329. 344. ϑ 199. 446. *κάμμορος* ε 160 [2]). 339. a matre λ 216 *περὶ πάντων κάμμορε φωτῶν.* sed etiam inmortalitate et dei et Juppiter differunt ab hominibus. nam ut illi *ἀθάνατοι* et *αἰὲν ἐόντες* dicuntur, sic hi *καταθνητοὶ* ι 502. *θνητοί* ε 213. η 210. 247. ι 521. κ 306. λ 244. μ 386. *βροτοί.* ε 101. 129. 197. 218. 334. ζ 119. 149. 153. 160. 201. 205. η 210. ϑ 16. 222. 239. 487. ι 405. κ 146. λ 19. 218. 287. 476. μ 77. 125. 341. 386. ν 129. 180. dilucide autem haec differentia patet ubi inmortales dei cum mor-

1) v. 490 a Beckero removetur.

2) schol. P. *ταλαίπωρε. κακόμοιρε.*

talibus hominibus conferuntur (ε 101. 129. 197. 213. 218. ζ 149 η 210. 247. ι 521. κ 306. λ 244. μ 386. ν 112. quid vero mortalibus post mortem destinatum sit optime colligitur e vv. λ 489 sqq. ubi Achillem dicentem invenimus

βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη
ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισι ἀνάσσειν.

quibuscum conparanda sunt verba quae λ 216 Ulixis mater dicit.

At qui haec carmina conposuit adeo non in hac deorum et hominum differentia acquievit, ut multis locis cum alia tum epitheta inveniantur, quibus illa tollatur, hominumque genus deis propincum esse ostendatur. atque in primis Phaeaces hic sunt conmemorandi. his enim adparent dei manifesti. η 201. hi sunt deis propinqui η 205. διοτρεφέες ε 378. ἀντίθεοι. ζ 241; Alcinous dicitur ζ 12 θεῶν ἄπο μήδεα εἰδώς. neque solum est θεουδής, sed etiam θεοείκελος, θ 256 aeque ac Nausithous pater ζ 7. θεοειδής[1]). Nausicaa dormit ζ 16 ἀθανάτῃσι φυὴν καὶ εἶδος ὁμοίη, θ 457 vocatur θεῶν ἄπο κάλλος ἔχουσα, fratres η 5 ἀθανάτοις ἐναλίγκιοι. neque vero minus quam hi Ulixes est deis propincus. ut enim Alcinoum, sic eum quoque vocant ν 89 θεοῖς ἐναλίγκια μήδε' ἔχοντα. Alcinous dicit θ 14 eum venisse in ipsius domum δέμας ἀθανάτοισιν ὁμοῖος. Nausicaa puellis dicit ζ 243

νῦν δὲ θεοῖσι ἔοικε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

---

1) quo modo differat θεοειδής a verbo quod est θεουδής vide Buttmanni lexil. I. p. 169.

vocatur ε 198 non minus θεῖος quam poeta θ 43. 47. 87. 539. ν 27. cf. ν 4 et Enipeus Fluvius λ 238; διοτρεφής κ 266. 419 non minus quam omnes reges η 49; διογενής ε 203. 387. θ 3. κ 401. 443. 488. 504 [1]). λ 92. 405. 473 [617] ἀντίθεος ν 126 [2]) aeque atque uxor λ 117; socii λ 371. Menelaus θ 518. Nestor λ 512. Alcinoi filius Clytoneus θ 119 [3]). longe autem saepissime legimus verbum quod est δῖος [4]) (vide ε 171. 269. 354. 486. ζ 1. 117. 127. 217. 224. 249. 322. η 1. 21. 133. 139. 177. 230. 329. 344. θ 199. 381. 446. 494. λ 168. 461. 522. μ 133. ν 56. 63. 187.) at ne falso iudicemus de ratione qua homines sint deis propinqui, considerandum est non solum illos voce quae est δῖος ornari, verum etiam μ 104 Charybdin perniciosam; non solum illos esse ‚θεῖοι', sed etiam potum ι 205 et Phaeacum chorum θ 264; non magis Phaeaces et Ulixem dici ‚ἀντίθεοι' quam λ 308 Otum, alterum Aloidarum, qui deis perniciem minitabantur. omnium autem latissime patere significationem verbi quod est δῖος inde cognoscimus, quod et mare ita vocatur ε 261. θ 34. λ 2. et aurora ι 151. 306. 436. λ 375. μ 7.

Restat ut quae de Jove solo dicantur pervestigemus. ac primum quidem Neptunus, cum Phaeaces apud eum accusat, eum adpellat ν 147 voce quae est κελαινεφής

---

1) κ 456 a Beckero reicitur.

2) ζ 328—331 recte ab Ameisio removentur cf. Koechlyi diss. I. p. 32.

3) η 146 a Kirchhoffio (die hom. Odyss. praef. p. XVII. n. 2.) reicitur.

4) quam vim habeat haec vox tota demum quaestione finita cognosci potest.

(cf. ι 552. ν 25) quam schol. D. ad A 397 interpretatur τῷ τὰς νεφέλας μελαίνοντι, ὀμβροποιῷ. cum ι 67 μ 313 tempestatem excitat, vocatur νεφεληγερέτης. i. e. qui nubes colligit, quae vox etiam μ 384. ν 139. 153 invenitur coniuncta cum verbo quod est προςέφη. epitheto autem quod est τερπικέραυνος i. e. qui fulminibus gaudet η 164. 180 ornatur, cum ei fiunt sacrificia. verbo quod est εὐρύοπα[1]) vocatur λ 436 cum Atrei progeniem odit. Ulixes eum inplorat ϑ 465 vocibus quae sunt ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης. maxime autem variis rationibus usurpatur verbum quod est αἰγίοχος. ι 275 enim legimus οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν. ε 137 Διὸς νόον αἰγιόχοιο. ζ 324 Minerva adpellatur αἰγιόχοιο Διὸς τέκος. similiter ac nymphae ι 154 κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο. μέγας denique legitur ϑ 82 coniunctum cum his verbis:

τότε γάρ ῥα κυλίνδετο πήματος ἀρχὴ
Τρωσί τε καὶ Δαναοῖσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς.

ι 411

νοῦσόν γ᾽ οὔ πως ἔστι Διὸς μεγάλου ἀλέασϑαι.

Neleus et Pelias vocantur λ 255

τὼ κρατερὼ ϑεράποντε Διὸς μεγάλοιο...

Alcmena dormit λ 268 ἐν ἀγκοίνῃσι Διὸς μεγάλοιο. et Diana et Minerva vocantur ζ 151. ζ 323 Διὸς κούρη μεγάλοιο.

Quaerentes denique quae nomina et cognomina ei inponantur verbum quod est πατήρ invenimus η 311. 316.

---

1) hac voce Jovem late sonantem significari probavit Goebel. *Ztschr. f. d. oesterr. Gymnasialw.* IX. 783. Doederl. Gloss. Hom. 509. Curti *Grundz. d. Etym.* 404.

331. ϑ 289. 318. 306. μ 63. 65. 371. 377. 445[1]). ν 51. 127. Κρονίδης ι 552. ν 25. Κρονίων ϑ 289. κ 21. μ 405. 399. [λ 620] Ὀλύμπιος ζ 188 Ζεύς ε 99. 128. 132. 146. 150. 176. 304. 382. 409. ζ 207. 229. η 250. 263. ϑ 245. 308. 334. 488. 335. 432. ι 38. 52. 111. 262. 270. 277. 294. 358. 479. λ 217. 261. 297. 302. 318. 559 [568. 580] μ 215. 415 416.

§ 12.

Quoniam igitur hanc quaestionis partem ad finem perduximus, relicum est ut omnia respicientes videamus num ab hac parte id quod supra efficiebatur, ut omnes emboli libri ab uno poeta conpositi essent, fulciatur an redarguatur. atque e ratione quidem, qua Juppiter et cum deis et cum hominibus coniunctus est, vix quisquam eius naturam atque potestatem in diversis libris diversam esse coniciat. nam quod in quaestionis exordio contendimus imperium nusquam terminis circumscriptum esse nec definitum, id eis quae secuntur plane confirmatur. inducuntur enim uxores, liberi; qui repugnet eius voluntati nemo invenitur. sed ne rationes quidem, quae ei cum hominibus intercedunt, quidquam habent offensionis; et cum imbres effundit et cum hospites tuetur, ubivis imperium non est deminutum. eius voluntas autem Fato adeo non est subiecta, ut vox quae est μοῖρα nihil significet nisi sortem hominibus a deis destinatam. sed etiam e notione, quae de Jovis domicilio ac sede concepta est, hoc embolium ab uno poeta conpositum

1) schol. ad 445 sq. νοθεύονται δύο. cf. Nitzsch. *Sagenpoesie* p. 133.

esse adparet. quanquam non nullis libris nihil nisi coelum conmemoratur, nusquam Olympus. at primum hoc solum efficere non potest ut aliter iudicemus, nisi aliis argumentis confirmatur; aliis autem rebus sententiam nostram probari satis demonstravisse nobis videmur. deinde e versu μ 344, ubi legimus τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν, conparato cum μ 337 οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν patet quamvis in hoc embolio coeli notio aperte concepta sit, tamen Olympi notionem non prorsus obscuratam esse, ita ut casu magis quam voluntate non nullis libris nihil usurpatum esse colligerimus nisi vocem coeli. haud secus si quae sit hominum miseria consideramus, id quod volumus consectarium est; aliis enim libris eam maiorem esse, aliis minorem evinci non potest. notio denique unius dei, epitheta ac nomina deorum, hominum, Jovis, in diversis libris non ita diversa sunt, ut eos a diversis poetis conpositos esse statuamus. quanquam enim uno tantum libri quinti loco dei pluraliter inducuntur, ita ut inde hunc librum minus perfecta aetate conpositum esse sit qui coniciat, tamen primum ad hanc rem idem pertinet, quod supra de Jovis sede diximus; hoc igitur solum efficere non potest, ut aliter de hoc libro iudicemus. deinde homines mortales esse, deos inmortales tot locis invenimus, ut hunc librum non inperfectioris esse aetatis nostro iure concludamus. Jovis denique solum nomen quod est Ζεύς novies legitur, quod aeque sententiam nostram fulcire videtur.

At multo magis consideratu sunt digna quae libro octavo dicuntur. hic enim quater, quotiens nullo alio

loco, invenimus poetam voce quae est θεῖος ornatum [1]); nullo alio loco Juppiter vocatur ἐρισθενής, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης. quae sola quamvis parvi sint momenti, tamen non spernenda videntur, si et quae iam antiquitus contra Demodoci carmen et quae nuper a Kirchhoffio [2]) contra totum librum adlata sunt consideramus.

Ac Kirchhoffium cum his libris deorum concilium, quod est in primi libri exordio, ita coniungere, ut inter α 87 et ε 43 non nullos versus intercidisse coniciat [3]) iam supra diximus. si autem omnia quae de Jovis natura atque potestate in hoc embolio dicuntur spectamus, quibus rationibus supra inpediebamur quominus ei adsentiremur, hae nunc haudquaquam deminutae videntur. immo: in deorum concilio sola atque una Ulixis errorum caussa cum hominum est libera voluntas tum scelus in Neptunum conmissum. hic contra, id quod iam fabula explicata efficiebatur, ut scelus illud, quanquam non ita obscuratum est, ut Jacobus voluit, tamen ne eo quidem modo, quo Nitzschius existimat, errorum esset caussa.

---

1) quamquam magis paene, quam hoc poetae epitheton, notatu dignum id videtur, quod ipse in scaenam prodit: ita ut Heerklotzio adsentiamur qui l. l. p. 83 dicit: ‚*Man kann annehmen, dass, je weiter man von der altepischen Saengerzeit entfernt war, desto oefterer und lieber auf sie zurückwies .... daher erklärt es sich, warum von zunftmaessigen Saengern so gar nicht in der Iliade, die bekanntlich viel mehr echte Lieder als die Odyssee enthaelt, gesprochen wird; warum in der Odyssee, die zum groesseren Theil weit juengeren Ursprungs als jenes Gedicht ist, mit solcher Vorliebe das Wesen der Saenger als Gegenstand besonderer Betrachtung sich bietet.*

2) die hom. Odyss. praef. p. X n. 7.

3) l. l. p. 5. similiter Heerklotz. p. 68.

argumentis satis conprobatur. neque enim solum Ulixes miseriis est adfectus, sed homines in universum sunt δειλοί et θνητοί, dei μάκαρες et ἀθάνατοι. Juppiter hominibus et bonis et malis res secundas et adversas decernit, quomodocunque ei placet (ζ 188). non Polyphemum caecans Ulixes deorum odium in se convertit, sed miseria adfectus est ex quo Agamemnonem secutus est Troiam (λ 167), et quamvis facile dicamus culpam eius tantam fuisse, ut non minus Penelopes miseriae esset caussa, tamen Nitzschius contendit homines non poenas expendere nisi postquam peccaverint; Penelopen autem miseriam conmeruisse nullo loco legimus. multo magis denique eius sententia probaretur, si hominum culpa et delictum conmemoraretur, non miseria et dolor; si homines non ‚qui doloribus adfecti sunt', sed ‚qui poenas luunt' vocarentur. et quanquam non nullis locis miseriae ex vitiis manant, tamen pluribus hominum culpa deis nihil est nisi exoptata occasio, qua se eis fortiores esse; non illos, sed se ipsos esse ‚μάκαρες, ῥεῖα ζώοντες, ἀθάνατοι' ostendere possint; ita ut persaepe homines non ideo poenas dare videantur, quod peccaverunt, sed ideo peccare, ut poenas dent.

Quae cum ita sint, num prius illud deorum concilium non minus quam alterum removendum esse censebimus? at hinc novae oriuntur difficultates. hoc enim alterum ab eo interpositum esse, qui libros β-δ, quos ab uno poeta conpositos esse infra evincetur, cum illo embolio coniunxit unus quisque pervidet. nam hic adeo cogitabat Telemachum, qui ibi primas agit, ut huius modo caussa Jovem Ulixis reditum decernentem faceret.

prorsus aliter se habet prius deorum concilium. a quo enim et quem ad finem conpositum est, nisi ab eo, qui embolium .conposuit idque ideo, ut id inchoaret? fortasse quispiam dixerit eos libros, in quibus insunt apologi qui vocantur Alcinoi ab aliis conpositos esse atque ab eo, qui et hospitium Alcinoi et Ulixis reditum conposuit; ita ut hoc concilium eos modo libros inchoaret, quibus de Phaeacibus agitur. at ita quoque intellegi non potest cur Ulixes iam miseriis adfectus sit priusquam ad Cyclopes navem adpelleret aut cum esset in monstri spelunca.

Quam ob rem necesse est sit alterum de duobus. aut deorum illud concilium ab embolio abhorrere confiteamur, aut quem ad finem conpositum sit dicere non possumus. neque vero dubium erit quin priorem illam viam ineamus, et si offensionem non tollamus, tamen quae sint eius caussae quaeramus. qui enim haec carmina conposuit, ei duae errorum caussae traditae videntur: putabat enim et omnibus hominibus destinatum esse ut miseriis vexarentur et Ulixem Polyphemi caecati caussa calamitate adfici. sed cum carmina inchoaret, iam absolutiorem illam notionem, qua homines non poenas dare existimaret nisi si peccavissent, animo conceparet; paullatim autem haec notio obscurabatur, ut nullam aliam errorum caussam putaret nisi scelus in Neptunum conmissum. quaerentes autem num huius rei similia sint primum reminiscimur eundem poetam non modo Olympum deorum esse sedem voluisse, sed etiam coelum. tum Juppiter quamvis saepe hospite set tueretur et ulcisceretur, quamvis aperte ideo modo Phaeaces diligeret, quod hospitales essent, tamen ut Neptunus eos puniret

concessit. hoc facit, inquies, invitus. fratri morigeratur atque indulget. at hoc adeo non est verum, ut ν 147 sq. Neptunus dicat

αἶψα κ' ἐγὼ ἔρξαιμι, κελαινεφὲς, ὡς ἀγορεύεις·
ἀλλὰ σὸν αἰεὶ θυμὸν ὀπίζομαι ἠδ' ἀλεείνω.

quid igitur? nonne his argumentis illud deorum concilium ab eodem poeta conpositum esse, a quo embolium, probabile fit?

Sed priusquam ad alia transeamus restat ut non nulla quae sunt in hoc concilio emendemus. v. 6—9 enim legimus socios sua ipsorum culpa periisse, quod Solis boves cecidissent. suo autem iure Jacobus l. l. p. 424. dicit: „*Wuerde wohl jemand, der unsre Odyssee nicht kennte, bei diesen Versen nur an die letzten und nicht vielmehr an alle Gefaehrten des Odysseus denken, die er hatte von Troia heimfuehren wollen?*" sed tantum abest ut id quod vult efficiatur, ut cum Kirchhoffio versum 8.9. reiciamus[1]). deinde invenimus α 29 sqq. de Jove dictum:

μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Αἰγίσθοιο
τόν ῥ' Ἀγαμεμνονίδης τηλεκλυτὸς ἔκταν Ὀρέστης.
τοῦ ὅ γ' ἐπιμνησθεὶς ἔπε' ἀθανάτοισι μετηύδα.

quos versus e δ 187—189 interpositos esse recte cognovit Henningsius[2]).

§ 13.

Quoniam igitur embolium ab uno poeta conpositum esse ostendimus neque fieri posse ut non nulli libri sic

---

1) Die hom. Odyss. p. 3. cf. Becker sched. hom. pp. 101 sq. Heerklotz. l. l. pp. 5 sq.

2) *Jahrb. f. cl. Philol.* 1858. p. 151. Koechlyi diss. I p. 11.

coniungerentur, ut nobis essent traditi, nunc quae sit in altera fabulae parte, quam Nitzschius ab embolio discernit, Jovis natura atque potestas adcuratius pervestigemus.

Ac primum quidem versus inde ab α 88 usque ad δ 847 ita considerandos esse ut eos, in unum coniungamus inde patet, quod et α 1—87 atque ε 1—42 removimus, et quod eorum fabula, qua Telemachus inducitur, unum et continuum carmen est. ut autem supra, ita hic quoque initium capiamus a ratione, quam Juppiter et cum deis et cum hominibus habet. ac Minervam unam fere esse alicuius momenti ad fabulam progredientem eamque ita, ut haud sine Jovis conprobatione res agat iam supra diximus. itaque est ὀμβριμοπάτρη[1]) α 101. γ 135. Διὸς θυγατήρ γ 337. 378. κούρη Διός β 296. 433. κούρη Διὸς αἰγιόχοιο γ 42. 394. δ 752. αἰγιόχοιο Διὸς τέκος. δ 762. eam una cum Jove et Apolline precatur Menelaus δ 341. ei ante omnes alios deos libant vinum β 432. e Jove autem ipso rumorem ac famam esse legimus α 282. β 216[2]). Aegyptus est διιπετής δ 477. 581. regnum hominibus defert α 386; eis dat quod ipsi placet α 348 (cf. 390. δ 237) non minus quam scelera punit α 379. β 143. nam omnia efficere potest δ 237; habet omnium rerum scientiam δ 379. inmortales sunt eius domus et divitiae, ut nemo mortalium cum eis certet δ 78 sq. solus destinat hominum sortes γ 88. 119. 132. 152. 160. 288. δ 34. 173. 207. 668. 699. 722; itaque inploratur β 34. 68. 346 et

1) vide Becker. sched. Hom. p. 34.

2) vide Buttmann. lexil. pp. 21 sqq. Lehrs. l. l. p. 87. „ὄσσα non vocem significat simpliciter, ut apud alios poetas, sed famam divinitus excitatam.

aquilam mittit cum se facturum esse quod quis petierit promittere vult. β 146.

Quae cum ita sint, valde miraremur, si hic tam potens pollensque deus Fati voluntati subiectus esset. ac profecto, primum invenimus vocem quae est μοῖρα partem significare δ 97. γ 40. 67. deinde legimus verba quae sunt κατὰ μοῖραν β 251. γ 331. 457. δ 783. quod tum legimus δ 475

οὐ γάρ τοι πρὶν μοῖρα φίλους ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι

hoc non differt a δ 561 sq.

σοὶ δ᾽οὐ θέσφατόν ἐστι, διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε
Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν

ita ut neque hic neque illic de Fato a Jovis voluntate diverso agatur. quorum locorum similes sunt β 99

εἰς ὅτε κέν μιν
μοῖρ᾽ ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

α 166.

νῦν δ᾽ὃ μὲν ὣς ἀπόλωλε κακὸν μόρον....

(cf. β 165. 283. 316. 552.) quin etiam γ 269 expresse invenimus

ἀλλ᾽ ὅτε δή μιν μοῖρα θεῶν ἐπέδησε δαμῆναι.

At cum ab omnibus aliis locis tum ab hoc plane discrepare videtur quod γ 236 sqq. legimus

ἀλλ᾽ ἦ τοι θάνατον μὲν ὁμοίιον οὐδὲ θεοί περ
καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ
μοῖρ᾽ ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο[1]).

sed ne hic quidem verbum quod est μοῖρα aliter intellegendum est nisi sors moriendi hominibus destinata i. e. mors; ita ut hunc locum interpretari possimus: ‚dei inpedire non possunt quo minus homines moriantur'. patet

1) non recte Beckerus hos versus reiecit.

igitur voce quae est *μοῖρα* non **Jovem** esse infirmum atque inbecillum significari, sed **homines.** hi enim sunt adeo mortales, *βροτοί, θνητοί*, ut ne deis quidem eorum servandorum potestas sit. quanto autem iure hoc contendamus cum ex aliis perspicuum est tum e versibus qui his sunt proximi. γ 241 sq. enim legimus

ἀλλά οἱ ἤδη
φράσσαντ' ἀθάνατοι θάνατον καὶ κῆρα μέλαιναν.

quod igitur mortem moliuntur et struunt, id non alienum est a deorum voluntate, cum vero aliquis servandus est a morte, tum sunt inbecilli atque infirmi.

Sed non modo Jovis imperium neque ab ullo deo neque a Fato definitum est, verum etiam permulti exstant loci, e quibus unius dei notio adparet. ac primum quidem in hunc numerum ei referendi sunt, quibus dei pluraliter inducuntur: α 195. 201. 222. 234. 244. 263. 267. 273. 378. 384. 400. β 66. 125. 143. 211. 377. 432. γ 28. 48. 159. 205. 208. 228. 236. 242. 269. 273. 376. δ. 12. 351[1]). 360. 378. 379. 433. 479. 504. 518. 564. 583. 586. 591. 755. 805. 807; deinde quibus singulariter γ 173. 231. δ 181[2]); tum quibus δαίμων invenitur; β 134. γ 27. 166. δ 275. de Jove denique dicitur quod de deis α 379. 386. β 68 cf. 66. 144. γ 160 cf. 159. 152 cf. 158; δ 236 vero expresse vocatur θεός. quanquam praeter eum dei inplorantur γ 346. δ 472.

Si autem quae sit sedes ac domicilium quaerimus,

1) δ 353 a plurimis editoribus removetur.

2) γ 131 a Kirchhoffio, Beckero aliis reicitur, quod interpositus est e ν 317. pariter ac 214. 215 quod interpositi sunt e π 95. 96.

primum conmemoratur Olympus. nam α 102 legimus βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων ἀίξασα, β 68. δ 74. 173. 722 Juppiter vocatur Ὀλύμπιος; dei γ 377 Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες. deinde autem vocantur δ 378. 479 τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

Epitheta quibus ornantur sunt haece: μάκαρες δ 755. ῥεῖα ζώοντες δ 805. αἰὲν ἐόντες α 263. 378. β 143. γ 147. δ 583. αἰειγενέται. β 432 ἀθάνατοι α 201. 420. β 432. γ 2. 47. 282. 333. 346. 468. δ 378. 381. 385. 469. 479. 564. 586. 592. homines sunt ἐπιχθόνιοι α 167. ἀλφησταί α 349. θνητοί α 219. γ 3 καταθνητοί γ 114; βροτοί α 282. 337. β 216. γ 13. δ 38. 190. 196. 197. 397. 692. postremo autem loco expresse cum deis inmortalibus conparantur (cf. α 282. β 216. δ 78. 397). de eorum miseria vix minus saepe legimus quam in embolio. miseria enim Menelai conmemoratur δ 81. 95. Telemachi α 244. Penelopes δ 722. Ulixis β 174. Achivorum γ 100. 103. 116. 220. δ 330. et quanquam homines in universum sunt ὀιζυροί (δ 197), tamen ante omnes Ulixes δ 152. 170; nemo Achivorum tanta tulit, quanta ipse δ 106; mater eum omnium miserrimum peperit γ 95. δ 325 [1]). vocatur κάμμορος β 351. ταλασίφρων γ 84. neque vero absunt loci quibus homines deis esse propinquas adparet. Helena enim vocatur δ 184. 219 Διὸς ἐκγεγαυῖα. 227 Διὸς θυγατήρ. Menelaus post mortem in elysio, quod dicitur vitam agit. (δ 560 sqq.) quia Helenam in matrimonio habet [2]). Patroclus vocatur γ 110, Neleus γ 409 θεόφιν

---

1) hic versus a Beckero removetur, a Kirchhoffio servatur.

2) hi versus Nitzschio (ad Odyss. III. p. 352) contra dicente recte a Kirchhoffio servati sunt. quanquam 569 spurius videtur.

μήστωρ ἀτάλαντος. legimus θεοειδής α 113. γ 343. δ 628. θεοείκελος γ 416. δ 276. θεοπροπία et θεοπρόπος[1]) α 415. 416. β 184. 201. θεῖος α 336 (cf. α 371) β 233. 259. 394. γ 398. δ 17[2]) 395. 621. 682. 691. 799. διοτρεφής γ 480. δ 26. 44. 63. 156. 178. 235. 291. 316. 391. 561. διογενής. β 352. 366. ἀντίθεος β 17. γ 414. δ 571. 741. δῖος α 196. 284. 298. 332. 396. 398. β 27. 96. γ 84. 116. 121. 126. 266. 439. 306. δ 280. 655. 305. Juppiter denique ipse vocatur εὐρύοπα β 146. γ 288. δ 173. αἰγίοχος γ 394. δ 752. 762. μέγας δ 27. πατήρ δ 341. Ὀλύμπιος δ 722. β 68. δ 74. 173. Κρονίων α 386. γ 88. 119. δ 207. 699. Ζεύς α 283. 348. 379. 390. β 34. 144. 217. 296. 433. γ 132. 152. 160. 337. 346. 378. δ 34. 78. 184. 219. 227. 237. 472. 569. 668.

Quae omnia spectantes nihil sane invenimus, ex quo versus inde ab α 88 usque ad δ 847 non ab uno poeta conpositos esse coniciamus. ratio enim, qua Juppiter et cum deis et cum hominibus coniungitur, una atque eadem est: nusquam imperio quisquam repugnat, notio unius dei in diversis libris non est diversa. quod Fato subiectus est, quanquam hoc uno loco probari videbatur, tamen eo ut homines infirmi essent effici cognovimus, non dei. quanquam libris α—γ Juppiter non habitare videtur nisi in Olympo, libro δ in coelo, tamen hic idem dicendum est, quod de embolio; hoc igitur nullius est momenti, nisi aliis argumentis confirmatur. epithetis denique effici ut hi libri a diversis poetis conpositi sint evinci non potest.

---

1) vide Buttm. lexil. I. p. 19.

2) vv. 17—19 a Wolfio et Beckero remoti recte a Kirchhoffio servati et ab Ameisio in editionis adpendice defensi sunt.

Ad aliam contra sententiam adducimur hos libros cum embolio conparantes. ac primum quidem notatu dignum videtur quod dei tam saepe pluraliter inducuntur. vox enim quae est *θεοὶ* α 1—87. ε 43—ν 184 bis et quadragies inveniebatur, his libris, qui non plures sunt, quam quattuor, quinquies et quadragies. deinde hic praeter Jovem dei non saepius quam bis conmemorantur, in embolio sexies. in epithetorum denique et nominum numero primum notatu est dignum quod hic dei quinquies *αἰὲν ἐόντες*, quibus vocibus perfectiorem aetatem significari infra demonstrabimus, vocantur, in embolio quater. deinde ea epitheta, quibus Juppiter rebus sensibus subiectis praeesse significatur, v. c. *κελαινεφής*, *νεφεληγερέτης*, *τερπικέραυνος* hic ita evanuerunt, ut nullum remanserit nisi *εὐρύοπα*. tum multo saepius, etiam si a versuum numero discesseris, in embolio, quam hic Juppiter vocatur *πατήρ*, quod verbum inperfectiorem aetatem significare Vossius optime intellexit [1]). cognomen denique quod est *Κρονίδης* hic plane evanuit; contra *Κρονίων*, quod in embolio quater legitur, hic quinquies invenitur. at perspicuum est eorum prius, quia sit quod vocant patronymicum multo magis Jovis originem significare quam alterum illud *Κρονίων*. hoc enim paullum differt a verbo quod est *Κρόνος*, quod a voce quae est *κραίνω* i. e. ‚perficere' ductum [2]) eum significat, qui perficit i. e. Perficum [3]); ita ut *Κρονίων* non tam sit filius

1) ad hymn. in Cerer. v. 321. cf. Eckenbrecher. de Jove Hom. diss. Berol. 1833 p. 19 adn.

2) vide Curti l. l. p. 142.

3) vide G. Hermann. de theol. Graec. antiq. (op. II.) p. 176 cf. Schoemann. op. II p. 112.

eius qui perficit, quam qui ipse perficit, vel qui est perfectus [1]). quid igitur? nonne eas carminum Homericorum partes, in quibus saepius Κρονίδης quam Κρονίων legitur, inperfectiore aetate conpositas esse nostro iure conicimus? quamvis autem parvi momenti hoc solum sit, nisi aliis argumentis confirmatur, eo maiorem habet vim, si quae antea huius Odysseae partis propria esse diximus consideramus. nemini igitur dubium erit quin haec pars, praesertim cum vv. α 1—87 et ε 1—42 remotis ab aliis libris secatur, ab alio poeta atque embolium conposita sit eoque qui perfectioris sit aetatis.

§ 14.

Restat ut quae sit in versibus ν 185— ω 548 Jovis natura atque potestas quaeramus. atque hic quoque Minerva arctissimo vinculo cum eo coniuncta est. Telemachus enim π 264 mentionem facit et huius et illius tutelae; Ulixes hos deos procorum animos occaecaturos esse π 298 confidit [2]). π 282 de illa dicitur quod 291 de patre cf. υ 42. ω 518. legatur ab hoc ω 477 sqq. ut pacem inter Ithacenses conciliet. tenet χ 297 Jovis scutum quod aegis vocatur, quo procos terreat. inploratur una cum Jove et Apolline ρ 132. σ 235. ω 376; nam est ὀμβριμοπάτρη ω 540. Διὸς θυγατήρ ν 359. ψ 205. ω 502. κούρη Διὸς ν 190. 300. 318. ω 521. κούρη Διὸς αἰγιόχοιο. ν 252. 371. ω 529. 547. sed etiam Diana Διὸς θυ-

1) vide Preller. Mythol. Graec. I ed. 2. p. 45.

2) π 281—298 cum ab aliis editoribus tum a Beckero removentur, quod interpositi sint ex τ 4—13. at Kirchhoffius (*die Composition der Odyssee* pp. 163 sqq.) evicit ex contrario hunc locum qui est in τ interpositum esse ex illo qui est in π.

γατήρ vocatur υ 61; nymphae κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο ν 356. ρ 240[1]) et ω 344 legimus

ὁππότε δὴ Διὸς ὧραι ἐπιβρίσειαν ὕπερθεν[2]).

Hominibus vero adparet primum rector et gubernator rerum naturae. nam auctor est dierum et noctium. ξ 93. cf. ο 477. imbres effundit, ξ 457; navigantibus mittit ventum secundum. ο 297. 475. non nulli homines ei sunt cari: Atrides ω 24 sqq.

οὕνεκα πολλοῖσίν τε καὶ ἰφθίμοισι ἄνασσες
δήμῳ ἔνι Τρώων, ὅθι πάσχομεν ἄλγε' Ἀχαιοί.

Amphiaraus ο 245; Minos, de quo τ 179 legimus

ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής.[3])

inprimis autem est custos ac defensor mendicorum et hospitum ν 213. ξ 57. 284. 389. π 422 sq. ρ 155. τ 303. υ 230; variisque modis hominum sortes gubernat et regit ξ 86. 119. 184. 235. 243. 268. 272. 300 sqq. 310[4]).

---

1) φ 25 Hercules dicitur Jovis filius. at φ 15—41 recte a Kirchhoffio (die hom. Odyss. p. XIV, n. 35) removentur.

2) vide Spohn. de extrema Odysseae parte p. 205: „...haec iam Ernestium offenderunt ad h. l. ita dicentem: „Versio: quando demum Jovis tempestates incubuerint desuper. Quid hoc est? aut quis hoc potest intelligere? Sensus est: quoties Jovis Horae, quae sunt quasi promaecondae copiarum et fertilitatis, suas copias effuderint."

3) vide Hesiod. fragm. ed. Goettling. CXII. (122). Hoeck Kreta I 244—255. II 120. 186. sq. Beck. *Ueber die Zeus Idee in ihrer centralen Stellung zum hellenischen Goetterkreise. München* 1852. pp. 8—11.

4) *ne* quis hos versus qui sunt:

αὐτὰρ ἐμοὶ Ζεὺς αὐτός, ἔχοντί περ ἄλγεα θυμῷ
ἱστὸν ἀμαιμάκετον νηὸς κυανοπρῴροιο
ἐν χείρεσσιν ἔθηκεν, ὅπως ἔτι πῆμα φύγοιμι.

interpretetur Jovem ipsum Ulixi adfuisse monet Naegelsb. Theol. hom. p. 21.

ο 488. 523. π 118. 291. ρ 322. 424. 437. σ 137. 273. 376. τ 80. 161. 275. 364. υ 201. φ 102. χ 51. ψ 140. 330[1]). 352. ω 42. 96. 164. 352. 539. 544. inploratur igitur ξ 53. 406. 440[2]). ο 341. 353. 112. 180. π 51. 60. 155. 354. 597. σ 112. τ 303. υ 339. 236. φ 200. χ 252. hominibus mittit omina π 320. υ 101[3]). 273. φ 413. de legibus eius et praeceptis legimus π 403; de oraculo quod est Dodonae. ξ 327. τ 296; de ara ei statuta χ 335. 379.

Et hunc deum Fato esse subiectum putatis? minime vero; vocis enim quae est μοῖρα primam significationem partis invenimus ξ 448. ο 140. ρ 258. 335. [τ 423.] 592. υ 171. 260. 280. 281. 293. κατὰ μοῖραν. ν 385. ο 170. 203. π 385. ρ 580. σ 170. υ 37. φ 278. χ 486; ξ 509. παρὰ μοῖραν[4]) pro usitatis verbis quae sunt οὐ κατὰ μοῖραν. mortem vero significat ρ 326. φ 24[5]). χ 54. ω 29. 135 cf. ω 34. ubi legimus

νῦν δ' ἄρα σ' οἰκτίστῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι.

---

1) et hic et ω 539 Jovis fulmen epitheto quod est ψολόεν ornatur (vide Spohn. l. l. p. 158). quod cum non inveniatur nisi Hymn. in Ven. 288. Hesiod. Theog. 515. Scut. 422, sententia eorum confirmatur, qui extremam Odysseae partem posteriore aetate conpositam esse existimant.

2) ξ 158—164 a Kirchhoffio (die hom. Odyss. p. 44) recte removentur, quod interpositi sunt ex τ 303—307 et υ 230—231.

3) Beckerus in eo offendit (sched. Hom. p. 126), quod quanquam Juppiter 104 e nubibus tonat tamen υ 114 nullam in coelo nubem fuisse legimus. at non est interpretandum cum Schol. ad 104: ἐκ τοῦ τόπου ὅπου εἰώθασιν εἶναι τὰ νέφη (cf. Faesi) sed υ 104. reiciendus est.

4) schol. B. ἀσύμφορον. ἀνόητον.

5) eo quod verba quae sunt φόνος καὶ μοῖρα inusitata sunt vv. 15—41 reiciendi esse confirmantur.

ita ut paullum differat a verbis quae sunt μόρος π 421. τ 145. υ 241. κήρ ο [235] 275. π 169. ρ 82. σ 155. χ 14. 330. 363. 382. ω 127. 414. κῆρες ξ 207. ρ 547. τ 558. χ 66. ψ 332. quam non autem haec mors deis invitis sit destinata efficitur versibus χ 413.

τούσδε δὲ μοῖρ' ἐδάμασσε θεῶν καὶ σχέτλια ἔργα

υ 75 sq.

ἐς Δία τερπικέραυνον (ὃ γάρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα
μοῖράν τ' ἀμμορίην [1]) τε καταθνητῶν ἀνθρώπων).

non alia denique sententia vox quae est αἶσα dicitur ν 306. ξ 359. ο 276. τ 259. ψ 315.

Jam vero hac Odysseae parte non pauci inveniuntur loci, quibus unius dei notio adparet. pluraliter enim inducuntur dei ξ 39 [2]). 61. 83. 175. 198. 251. 348. 357. 394. 446. ο 26. 173. 372. π 130. 232. 364. 402. 405. ρ 119. 149. 271. 475. 518 [3]). 601. σ 19. 133. 142. 176. 180. 252. 425. τ 125. 502. 593. υ [67. 79.] 169. 195. 215. φ [28] 279. χ 39. 288. 413. ψ 11. 81. 167. 210. 258. 286. ω 85. 92. 198. 401. 402. 444. 514; singulariter ν 317. ξ 65. 89. 242. 309. 444. ο 168. 531. π 96. ρ 218. 399. σ 37. 265. τ 485. 488. 496. υ 344. φ 213.

---

1) schol. B. εὐμοιρίαν καὶ κακομοιρίαν. vide Welcker *Gr. Goetterl.* I. p. 176. Nagelsb. l. l. p. 124. contra Doederl. Gloss. Hom. § 582. Ameis. ad h. l. at verba sunt inusitata, ita ut Kirchhoffi sententia (die hom. Odyss. p. XIV n. 32. cf. Becker sched. Hom. p. 125) qua 66—82 spurios esse arbitratur probanda sit.

2) praeter ea ν 321 quoque legimus verbum quod est θεοί. at 320—323 a plurimis editoribus removentur (cf. Kirchhoff. l. l. XVII n. 6).

3) quae verba hic leguntur: θεῶν ἐξ, Schol. H. optime interpretatur: θεόπνευστος.

280. ψ 185[1]) [222] 260; vocem quae est *δαίμων* legimus ξ 386. 488. ο 261. π 64. 194. 370. ρ 243. σ 146. 256. τ [10]. 129. 138. 201. 512. υ 87. φ 201. ω 306. conpluribus denique locis de Jove dicitur quod de deis in universum: ξ 86. cf. 83. π 403. cf. 402. ρ 51. 60. σ 137. cf. 134. υ 98. ω 351; quin etiam ξ 327. expresse vocatur *θεός*[2]). quanquam praeter eum dei conmemorantur ξ 53. 119. σ 112. ψ 352.

§ 15.

Sequitur ut quaeratur de Jovis domicilio ac sede. atque Olympus quidem epithetis ornatur quae sunt *αἰγλήεις* υ 103. *μακρός* ο 43. [υ 73] ω 351; ω 488 invenimus *βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων ἀΐξασα.* Juppiter vocatur ο 523 *'Ολύμπιος αἰθέρι ναίων.* dei *'Ολύμπια δώματ' ἔχοντες* [υ 79] ψ 167. *τοὶ Ὄλυμπον ἔχουσιν* ξ 394. σ 180. τ 43. sed quam haec notio non abhorreat ab ea, qua Juppiter in coelo habitare putatur inde patet quod Minerva υ 31 de coelo venit et 55 in Olympum redit, quod dei dicuntur *ἐπουράνιοι* ρ 484. *τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν* π 183. 200. 211. χ 39. ψ 280.

Epitheta autem sunt haec: *μάκαρες* ξ 83. ο 372. σ 134. 426. *αἰειγενέται* ξ 446. ψ 81. ω 373. *ἀθάνατοι.* ξ 53. 178. 421. ο 35. 173. [251] 414. π 187. 265. ρ 149. 601. σ 112. 176. τ 125. 593. φ 14 [37]. 365. ψ 63. 163.

---

1) quam vocem χ 347 invenimus „*θεός*' Schol. H. „*ἡ μοῦσα*' interpretatur.

2) etiam Mercurius τ 396 ita vocatur. at etiam Nitzschius (*Sagenpoesie* p. 130) vv. τ 395—466 interpositos esse dicit (cf. Kirchhoff. l. l. XIII. n. 31).

280. ω 47. 55. 64. 198. 371. 444[1]); σ 190 dat Minerva Penelopae inmortalia munera. quod autem vox ἄμβροτος, quae et hic et aliis locis de rebus modo dicitur, ω 445 de deo usurpatur, eo haec extrema Odysseae pars ab alio poeta conposita esse confirmatur.

Homines contra sunt ἐπιχθόνιοι ρ 115. σ 136. χ 414. ψ 65. ω 197. βροτοί ν 200. 297. 312. 397. ο [253. 255] 321. 343. 408. 492. π 63. 148. ρ 386. 519. 685[2]). τ 107. 170. 286. 330. 360. 365. 567. φ 308. ψ 187. 216. 226. 267. ω 267. θνητοί π 196. 212. υ 46. ω 64. καταθνητοί ρ 587. τ 285 [υ 76]. ψ 126. μινυνθάδιοι τ 328. μέροπες υ 49. 132. eique cum deis conparantur ν 312. ξ 178. π 196. 212. 265. ρ 519. 601. τ 593. υ 46. ω 197. miseriae non sunt minores quam antea. nam eis adfecti sunt Achivi et Troiani ρ 118. ω 27. Laertes π 139. ω 207. Telemachus π 188 sq. 195. ρ 13. Penelopa ν 337. π 38. 450. σ 180. 202. 251. 256. 273. τ 124. 515 sqq. υ 58. φ 88. 357. Eumaeus ξ 39. 137. ο 487. 489. ante omnes autem Ulixes ν 263 sq. 301. 319. 331. ξ 47. 198. ο 176. 342. 399 sqq. π 205. 275. ρ 284. 444. 524. τ 483. υ 339. φ 207. ψ 169. 210. 248. 307. 352. itaque vocatur πολυτλάς ν 250. 353. ξ 148. ο 340. π 90. 186. 225. 258. 266. ρ 280. 560. σ 90. τ 102. φ 414. χ 191. 261. ψ 111. ω 176. 232. 348. 490. 504. 537. πυλύστονος. σ 118. δύστηνος τ 354. υ 224. δύσμορος υ 194. ω 290. 311. περὶ κάμμορε φωτῶν υ 33. ὀιζυρὸς καὶ ἄποτμος υ 140. homines denique in universum sunt δειλοί. ο 408.

Sed etiam hic inveniuntur epitheta e quibus eorum

1) 447—449 Beckerus recte removit.

2) σ 115. 116. a Beckero et Kirchhoffio removentur.

genus non plane alienum esse a deorum genere adparet. Ulixes enim conparatur τ 267 cum deis [1]) cf. ω 371. itemque Achilles ω 36. Telemachus vocatur υ 124. ἰσόθεος φώς. Phaeaces τ 279. ἀγχίθεοι [2]). θεοειδής legitur ξ 173. ο 271. 508. π 20. ρ 151. 328. 391. υ 350. 363. ψ 186. 277. θεῖος. ο 313. 347. 554 [3]). π 53. 252. 335. ρ 3. 230 [4]). 359. σ 417. υ 248. 283. 298. 325. φ 74. 189. 244. 432. ψ 133. 143. ω 151. 439. διοτρεφής ο 64. 87. 155. 199. 237. χ 136. ω 122. διογενής ν 375. ο 485. σ 312. χ 164. ψ 306 [5]). ω 542. ἀντίθεος ν 378. ξ 18. 40. 247. 385. ο 90 [237]. ρ 54. τ [456] 216. υ 369. φ 254. χ 291. ω 116. 300. δῖος denique ν 187. 250. 353. ξ 3. 4. 48. 148. 401. 413. ο 106. 301. 340. π 1. 5. 20. 56. 90. 164. 186. 225. 258. 266. 333. 461. ρ 260. 280. 506. 507. 508. 560. 589. σ 90. 117. 208. 281. 302. τ 1. [51] 102. 141. 177. 199. 225 [430. 437]. υ 60. 147. 1. 92 [104]. 120. φ [38]. 42. 63. 80. 190. 234. 240. 359. 414. χ 81. 129. 157. 162. 191. 261. ψ 111. 302. ω 131. 176. 232. 241. 348. 428. 482. 490. 504. 537.

Restat ut Jovis epitheta et cognomina colligamus. dicitur autem νεφεληγερέτα ω 477; ὑψιβρεμέτης ψ 331; τερπικέραυνος ξ 269. ρ 437. τ 365 [υ 75] ω 24; εὐρύοπα

---

1) quae Jacobus l. l. p. 495. contra hunc locum adfert, eis adsentiri non possumus.

2) ψ 218 vocatur Helena Διὸς ἐκγεγαυῖα. at 218—224 a plurimis editoribus removentur.

3) ο 63 in optimis codicibus non legitur.

4) ρ 402 ex σ 417 et υ 325 interpositum esse Kirchhoffius recte perspexit (l. l. p. 67).

5) verbum quod est διογενής in Odyssea cum articulo coniunctum non invenitur nisi hoc versu.

ξ 235. ρ 322. ω 544. ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης ο 112. 180[1]. αἰγίοχος ν 252. 371. ο 245. π 320. ω 164. 529. 547. μέγας π 403. τ 179. χ 334. 379. ω 521. ὕπατος καὶ ἄριστος τ 303. μητιέτα ν 243. π 298. υ 102. ξείνιος ξ 284. 389. ἱκετήσιος ν 213. ἑρκεῖος χ 335. πατήρ ξ 440. ο 341. π 260. ρ 132. σ 235. υ 98. 112. 201. φ 200. ω 351. 376. 473. 518. πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε σ 137. Κρόνου πάις ἀγκυλομήτεω φ 415[2]) Κρονίδης ω 473. 544. 539. Κρονίων. ξ 184. 303. π 118. σ 376. υ 236. χ 51. ξ 406. ο 477. ρ 424. τ 80. υ 273. φ 102. ω 475. Ὀλύμπιος. ο 523. ψ 140. Ζεύς denique ν 190. 300. 318. 356 359. ξ 53. 57. 86. 93. 119 [158]. 273. 300. 305. 306. 310. 328. 457. ο 297. 353. 475. 488. π 422. ρ 51. [60]. 155. 240. 597. σ 112. 273. τ 161. 276. 296. 303. 363. υ 42. 61. 97. 101. 121. 230. 339. φ [36. 25] 413. χ 205. 252. ψ [218] 352. ω 42. 96. 344. 502.

§ 16.

Quae omnia spectantes nihil invenimus, ex quo hanc Odysseae partem a diversis poetis conpositam esse colligamus. nam, ut a ratione, quam Juppiter et cum deis et cum hominibus habet, exordiamur: Minerva una fere adparet, eaque ita ut a patris voluntate non dissentiat. deinde hic nullo loco Fato est subiectus; notio contra unius dei omnibus in libris pro versuum numero una vi-

---

1) quod haec verba nullo alio huius Odysseae partis loco inveniuntur, eo sententia Kirchhoffi, qui l. l. XII. p. 17. vv. ο 17—282 removet, confirmatur. idem autem dicendum est de voce quae est αἰγίοχος, cuius casus nominativus qui dicitur non legitur nisi 245.

2) hic versus mihi interpositus videtur.

detur atque eadem. tum quamvis varium sit in diversis libris imperium, quo hominum sortes regit, tamen nusquam singuli loci inter se pugnant. idem denique dicendum est de eius sede ac de hominum miseria.

Contra praeter ea, quae iam antea de verbis quae sunt ψολόεις, ἄμβροτος, διογενής adtulimus, voces quae sunt ὑψιβρεμέτης, νεφεληγερέτης, Κρονίδης versibus ψ 297—ω 548 propriae adparent. cum autem his inperfectiorem aetatem significari iam supra dixerimus, sententia eorum, qui hanc partem posteriore demum aetate conpositam esse dicunt refelli videtur. at quid obstat quo minus sic potius statuamus, qui haec verba, quae inperfectiorem aetatem significant, usurpasset, quanquam ipse fuisset perfectioris, eum non id egisse, ut quae esset ipsius aetas patefaceret, sed ut multo antea fuisse videretur.

Si denique hanc Odysseae partem cum eis, quae sunt aliae duae conparamus, primum a versibus α 88 – δ 847 eam valde alienam esse negari non potest. nam illis quattuor libris vox quae est θεοί quinquies et quadragies invenitur; his duodecim quater et quinquagies; illis de Jove quod de deis septies dicitur; his, id quod mirum, haud saepius; quanquam verba quae sunt θεός et δαίμων non a versuum numero abhorrent. sed etiam epitheta, e quibus deos multo esse hominibus perfectiores patet, hic rarius inveniuntur quam libris α—δ. Illis enim ῥεῖα ζώοντες et αἰὲν ἐόντες leguntur, non hic. epitheta vero quibus Juppiter rebus sensibus subiectis praeesse significatur, illic omnia prope evanuerunt, hic non desunt τερπικέραυνος, non ἐρίγδουπος, et multo saepius πατήρ invenitur. quibus omnibus rebus quin inperfectior

aetas significetur, ita ut haec pars ab alio poeta conposita sit, atque illa, nemini dubium esse potest.

At si eam cum embolio conparamus, dei notio, qualis in ea adparet, ita perfectior est, quam in hoc, ut inperfectior, quam in libris α—δ. ac voces quidem quae sunt θεοί, θεός, δαίμων et deorum hominumque epitheta nihil offensionis habent. nam quod aiunt ea ita a librorum numero abhorrere, ut, quanquam hic sint duodecim libri, illic novem, tamen non saepius hic, quam illic notio unius dei atque epitheta, e quibus deos absolutos esse patet, inveniantur: hoc eo refellitur, quod haud multum abest quin versuum numerus sit unus atque idem. contra summi momenti sunt epitheta quae Jovem rebus sensibus subiectis praeesse significant. in embolio enim Juppiter vocatur ter κελαινεφής, sexies νεφεληγερέτης; quo accedit quod quater Κρονίδης, quinquies decies πατήρ; quorum verborum in postrema parte, si a libro ω discesseris, nullum invenitur nisi πατήρ idque decies.

Ut igitur a libris α—δ, ita ab hac quoque parte embolium illud differt, idque ita, ut in eo plurimae insint notiones, quae inperfectiorem aetatem significant, et ut postrema pars omnium media esse videatur.

Vita.

Paulus Ludovicus Guilibaldus Nerrlich natus sum Quaritziae, foro Silesiae prope Glogoviam Magnam sito, anni h. s. XLIV mensis Augusti die XXV patre Henrico mercatore, matre Luisa e gente Hoffmannia. fidem confiteor evangelicam. anno LIV inter discipulos gymnasii evangelici Glogoviensis, quod tum Klixio rectore valde florebat, receptus sum. ubi maturitatis quod vocant testimonium a. LXIII. adeptus apud universitatis Heidelbergensis ordinem philosophorum nomen professus sum. atque primum quidem omne fere tempus in theologiae, philosophiae, historiae studio consumpsi et a Rothio, Zellero, Lemkio, Haeussero, quorum scholas frequentabam, summo quid sit verum, bonum, pulcrum cognoscendi ardore inflammatus sum. sed ne philologicae quidem disciplinae neglegebantur. interfui enim scholis Kayseri, Koechlyi, Starkii. inprimis vero Berolini, quo anno LXIV exeunte me contuli, totum me dedi studiis philologicis. et hos quidem viros doctissimos docentes per sex semestria audivi: Bona-Meyer, Haupt, Huebner, Kirchhoff, Lepsius, Mommsen, Muellenhoff, Ranke, Steinthal, Trendelenburg; per annum autem socius fui exercitationum, quas Herrigius ad linguam Franco-Gallicam perdiscendam moderabatur. qui-

bus omnibus viris clarissimis optime de me meritis maximas quas debeo hodie semperque ago gratias. annis autem qui secuti sunt privatim cum Berolini tum domi illa studia et philosophica et philologica colebam, ita ut anni LXX mense Julio examen pro facultate docendi Berolini absolverem et a mense Augusto discipulos scholae Berolinensis quae vocatur „*Luisenstaedtische Gewerbeschule*“ erudirem.

Errata.

p. 8 l. 7 l. παϑόνι', ὀλέσανι'
p. 13 l. 21 l. Kirchhoffi
p. 14 l. 28 l. narretur.
p. 15 adn. l. 1 l. p. 5.
— l. 17 l. quamvis
p. 16 l. 5 l. scholiastae
— l. 7 l. Lehrsio[3]) dicendum
— l. 10—11 l. eti- am
— l. 12 l. legimus
p. 18 l. 3 l. eum.
p. 23 l. 21 l. (ε 137)[1]).
p. 29 l. 23 l. possumus
p. 33 l. 20 l. clarius,
p. 42 l. 19 l. caussa,
p. 44 l. 23 l. conceperat;
— l. 24 sq. l. ut alias quoque errorum caussas putaret, quam scelus
— l. 29 l. hospites et
p. 46 l. 6 l. esse, ut eos in.